LOGICA
P. WOLTERI SCHOPEN.

Digitized by Google

Digitized by Google

LOGICA UTENS,

Sivè

DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ,

Super Univerſam Materiam dialecticam clarâ brevitate & magnâ claritate concinnatæ,

Potiſſimùm quidem ad mentem Doctoris ſubtilis Scoti, ſed in maximis difficultatibus ſententiarum varietate pro genio veræ ſcientiæ amatorum exornatæ.

AUTHORE

P. WOLTERO SCHOPEN,

DE JULIACO,

Ord. Min. S. Franciſci Conventualium, SS. Theologiæ Doctore ac Profeſſore in Conventu Wratislavienſi p. t. ſtudiorum Regente &c.

NISSÆ, Typis Joannis Joſephi Krembſl,

ANNO M. DC. XCVII.

Digitized by Google

DEDICATIO.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo

DOMINO, DOMINO

JOANNI,

Divinâ Providentiâ Canonicorum Regularium Lateranenſium S. Auguſtini Ducalis Monaſterij B. Virginis in arena Wratislaviæ ABBATI, nec non per Sileſiam, & certam Poloniæ partem Viſitatori Digniſſimo, &c. &c.

DOMINO AC PATRONO Gratioſiſſimo &c.

REverendiſſime Præſul, ut exprobrantib9 ſcriptori juventutem ſatisfaciam, confugi ad Te venerandæ ſenectutis virum; ut acceſſus detur ad

Digitized by Google

Sileſiæ Patres inſulatos, quæſivi Patrum gloriam, & Prælatorum facilè nervo ac ævo principem; ut tutior Locatus in exteris comparere auſim, patriotam acceſſi faventiſſimum; ut ſubſiſtendi innocenter vendito ſit facultas uberior, Patriæ huic incorporatum optavi deprehendere jovis æmulum; ut ſcientiæ palæſtram Sileſiticam cohoneſtare valeam, ab experto modum inquirere malui; ut ſinceris (ſublatâ criſi, id eſt ingenuitatis thiſi) jungerer, ſine dolo natum, ſine fuco educatum, bis candidi Ordinis Prælatum ſum intuitus; ut inter parvos Seraphicæ virtutis manerem particeps, Humilem audacter acceſſi antiſtitem; ut apud grandes (qui dant lanam ſicut nivem, & cinerem ſicut nebulam ſpargunt) non occumberem, grandines in turbine, radios à ſole, ecclypſin in Luna expertum &c. omnibus omnia factum, grandævum Mœcenatem elegi; ut ad eruditionis Philoſophicæ portum uſquequaq; pertingerem, Architalaſſum, qui cum clavo prudentiæ curſum regeret, cum malo æquitatis

tatis navem ab Adverſariis intactam ſervaret, qui cum rudentibus judicij eam firmaret, cujus ratio ſedens in ſpecula hoſtes & ſidera obſervaret, ſyrtes & ſcopulos declinaret, & ad aſſentiendum clamaret celeuſma parvulis, inquiſivi Te vetuſtiſſimum: En ecce rationes, quæ me impellunt, ùt audeam rationalem iſthanc offerre Philoſophiam Reverendiſſimæ dignitati Tuæ; recenſui genericas, quid ſi ſcrutarer monumenta ordinis? quidſi ſuperſederem ardentibus beneficentiæ cineribus religionis Tuæ ergâ pupillos Patris vulnigeri? Quid ſi indiviſibiles arenenſium facultatum copias in HORTO DEÆ (anagr. Dorotheæ) *diviſas ac plantatas comprobarem? quid ſi ab univerſalibus ad individua deſcenderem? at quia Vir es, & in viro virtus eſt, nolle aſſentiri ſæculo præſenti blandientibus fortunatiſſimo, æquô animô vices gerentibus inimiciſſimo, imò hoſti profeſſione capitaliſſimo, plura hujusmodi relinquo me fœlicioribus æmulis: age*

duntaxat Præſul venerandiſſime, benevolentiæ titulo oblatum ſuſcipe, & gratitudinis voto Tibi, Tuis & patriæ ſupervive tam fœliciſſimè quam diutiſſimè. Ita avet & favet

Reverendiſſimæ ac Perilluſtris dignitatis tuæ

Humillimus Servus

Fr. Wolterus Schopen
de Juliaco.

CENSURA

Admodum Reverendi ac Eximij Patris Udalrici Pokagio, Soc. JESU, SS. Theologiæ Doctoris, ac in Collegio Wratislavienſi ejuſdem Profeſſoris publici ac ordinarij, nec non ſtudiorum Vice-Præfecti Generalis &c.

PErluſtravi Philoſophiam compoſitam â P. Woltero Schopen Ordin. Min. S. Franc. Conv. SS. Theologiæ Doctore ac Profeſſore &c. quæ ſtatim præſefert in pulchro ordine requiſitum ubivis ingenij acumen, & raram in ſcriptoribus brevitatis & claritatis concordiam, elucet etiam in parva mole quæſtionum copia, & variarum ſemperque Scoticis principijs inſiſtentium reſponſionum ubertas: ſtyli acrimonia, ſicubi eſt, intra Scholaſtica ſepta ùt plurimum diſcurrit, & veritatis potiùs deprehenſæ ardentiore amore, quàm læſionis ſtudiô, è vivido pectore ſcaturire videtur; Cenſeo igitur cum inſigni authoris commen-

datione publicam lucem lucubrationes iſtas poſſe ſubire, eámque jure ſuo mereri.

Datum Wratislaviæ 1697.
12. Januarij.

(L. S.)

Udalr. Pokagio qui ſupra
m. pp.

CENSURA

Admodum Reverendi ac Eximij Patris Fratris Reginaldi Lautterbach, SS. Theologiæ Lectoris ac Profeſſoris primarij in Conventu Wratisl. Ord. FF. Prædicatorum ad S. Adalbertum, nec non ibid. promotoris Roſarij &c.

DUm cenſor eſſe vereor encomiaſten agere cogor; Legi Philoſophiam P. Wolteri Schopen, Philoſophiæ ſimul ac SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, nec non Regentis digniſſimi in Conventu Wratisl. Ord. Seraphici FF. Min. Conv. ad S. Dorotheam, Legi inquam, & iterum relegi, quia Lectio eſt, quæ lecta placet, deciésque repetita placebit, ſi enim, ut fert axioma, varietas delectat,

quan-

quanta in hoc opere legendo eſt delectatio, in quo tanta reperitur variatio, nam antiquiſſima tantâ inveniuntur dexteritate propoſita, ut noviſſima cenſeantur; nováque tam profundô ingenij penicillô adumbrata, ut ipſis umbris antiquiora putentur; Mehercule illud facundiſſimi Tertulliani his commentarijs adaptare valeo, *antiquitate nobilia, nobilitate fœlicia.* Si ſubtilitatem horum (quod principaliter in ſubtili ſubtiliſſimi Diſcipulo attendere eſt) attendo, tantô ſubtilitatis ingeniô, tantâque ſubtilitate ingenij pollent, ut an authorem ſubtilis diſcipulum, an ſubtilis æmulum compellem, anceps hæream; imò an non ſubtilem Magiſtrum in tam ſubtili diſcipulo, ſicut herodes in Chriſto Joannem, revixiſſe opiner, vel potius ut altius loquar, an non duplicem ſubtilitatis ſpiritum, ſubtilis Doctoris velut alterius Eliæ, in ſubtili Diſcipulo velut altero Eliſæo completum eſſe credam: Verùm nè in aliquo errare videar, omnia quatuor approbo;

probo; ſubtilis Diſcipulum dico, non meô, ſed propriô Familiæ Seraphicæ ore, quod non niſi de profundiſſima humilitatis ſubjectione ſermonem texere novit, unde quamvis Authorem Magiſtrum â Longo temporis ſpatio jam cognoverit, tamen conformiter ſuo minoratui, non niſi diſcipuli Nomine gloriabitur; ſubtilis verò æmulum, aut ſubtilis Magiſtri vitam in eum translatam, vel duplici ſubtilitatis ſpiritu ſubtiliſſimi Doctoris informatum affirmo, non jam ore alieno, ſed meo proprio cordis interprete, quod aliud dicere nequit, niſi quod cor parturit, partum verò cordis mei ex Lectione hujus Philoſophiæ fœcundiſſima aliu:n non eſſe profiteor, quàm inventionem infinitarum (ſi infinitum dari poteſt) ſubtilitatum, ùt ſanè eloqui non verear præfata Commentaria tot ferè abundare ſubtilitatibus, quot verbis; omnémque ita ſubtilem, ut unaquæque non ſolùm omnibus numeris abſoluta, ſed & duplici ſubtilitatis ſpiritu informata tu-

tò

tò credi poſſit: quare cum in his ſubtilitatibus nihil invenerim, quod Chriſtianis auribus aut fidei orthodoxæ adverſari poſſet, ſed potiùs omnibus ſcientiæ amatoribus utiliſſimas fore, jure optimo Cenſeo prælo mandandas.

Datum Wratislaviæ 1697. 14. Januarij.

(L. S.)

Fr. R. L. qui ſuprà.

CENSURA

Admodum Rev. & Eximij P. Mariani Unzowski Ordin. Min. Conv. Provinciæ Bohemiæ Diffin. perpetui, Ex Provincialis, Ex Regentis &c. Guardiani actu digniſſimi Regino-Hradecij ad S. Annam &c.

QUæſtiones in Logicam, Phyſicam, & Metaphyſicam â P. Woltero Schopen SS. Theologiæ Doctore, nec non Wratislaviæ ad S. Dorotheam ſtudiorum Regente Ord. Min. Conv. compoſitas diligenter perlegi, & attentè conſideravi, in quibus nihil fidei aut bonis moribus contrarium,

imò

imò Doctrinam ſpecialem ſolidis rationibus firmatam inveni, quare dignas publicâ Luce Cenſeo.

Datum Regino-Hradecij 1696. 17. Dec.

(L.S.)

Fr. Marianus qui ſuprà.

APPROBATIO P. PROVINCIALIS.

ATtentis trium Theologorum Cenſuris, quibus plurimùm Commendatur Philoſophia, id eſt Logica, Phyſica, & Metaphyſica â P. Woltero Schopen de Juliaco, SS. Theologiæ Doctore, ejuſdémq; Wratislaviæ ad S. Dorotheam Profeſſore Regente Compoſita, cùm perindè & nos eandem maximæ utilitati fore arbitremur ſtudioſæ juventuti, authoritate officij noſtri Provincialatûs & Commiſſariatûs generalis facultatem concedimus, ut typis mandari valeat.

Datum Pragæ ad S. Jacobum 27. Jan. 1697.

Fr. Wenceslaus Aſtorius, Min.
Provincialis Bohemiæ Ord. Minor.
Conv. & Commiſſarius Generalis,
SS. Theol. Doctor &c. mpp.

(L. S.)

Fr. J. A. S. A. P.

Si videbitur Rev. D. Vicario Generali.

IMPRIMATUR

JOANNES HENRICUS SCWERTZ L.B. de Reiſt,
Vicarius Generalis.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

INter tot & tantos ſæculi hujus ſcriptores Philoſophos brevem Logicam edere ſum conatus, ſiquidem alios adverti integros tomos elucubraſſe, de quibus quadrat illud, quod Mr. de Balzac diſc. 10. in ſocratem Chriſtianum de quodam ſcriptore habet: Cet Homme diſoit-on à paris, lors que j' ij eſtois á fait un grand livre, parce qu' il n' a paſeu Le Loiſir d' enfaire un petit, *adverti inquam illos grandia volumina compoſuiſſe, quia tempus non habuerunt componendi parvos libros; fateor multa ſcribere (verbis utor Cardin. du perron) eſt Laborioſum, pauca ſcribere facile, ſed ex multo pauca,* mais de faire de beaucoup peu, C' eſt où il y a de La peine: *unde plato ſcribit in protagora, antiquorum doctrinam nihil aliud fuiſſe quàm quoddã breviloquium, ídque eſſe viri abſolutè ſapientis, quippepaucis multa complecti Corn: â Lap. fol. 29. c. 2. in Eccleſiaſticum; & Sophocles ait, multùm brevi Sermoni ineſt prudentiæ, adeò ut Tacit. l. 1. hiſtor. brevitatem compellet imperatoriam; hac ratione quod alij maximis voluminibus, volentes plus docti, dici quàm eſſe, ait Caram: exſcripſerunt, & rurſus (nomino neminem quoniam non procul diſtat ſonus ab echo) inſcripſerunt; abundantiùs, ſed breviter comprehendam, nec vereor quòd obſcurus fiam, dum brevis eſſe laboro Horat: de arte*

ie Poet. nam nolo compendioſè, cùm boni libri, malum ſemper compendium, tradere, *ſed ſingulas quæſtiones uberiùs hinc phyſicô, indè opticô utens oculô contra Pyracmontes & Steropes, qui aure reguntur, ſcripta quæ ſcripſerunt alijs dictant vel paucis immutatis diligentiſſimè tranſcribunt, pertractabo: porrò Hyppocrates compoſuit aphoriſmos, Pythagoras ſymbola, Salomon Proverbia, Hyerotheus ſummulas, anne ergo & ego ſapiens videri volo? ſi negavero, nemo credet, ſi affirmavero, arrogans ero, ſincerà loquar, ſæpiùs hoc paſſu me fœliciorem alijs reputavi; num igitùr extollar? fortè, niſi tantis invidiæ ac infamis fortunæ ſpiritibus colaphizarer, quidquid tamen ſit horum, ſi, quod religioſi eſt*

Septem horis ſtudeo, ſeptem horis dormio, ſeptem horis fundo preces, reliquis indulgeo vitæ,

Complevero, plus induſtriæ hoc quadriennio, quo docui & Philoſophiam & Theologiam, paratæ inveniam, quam completos pari ſtylo præter Philoſophiam quatuor Sententiarum libros, ne dies ſine linea migrâſſe videretur: D. O. *M. Laus & Honor mihi ac tibi amice Lector exindè Salus.*

PRO-

PROLOGUS
IN LOGICAM.

QUemadmodum nomen Philoſophia à Græco derivatur ſignificans latinè amorem ſapientiæ, id eſt: rerum humanarum divinarúmq; ſciendarum voluptatem; ita & nomen Logica Græcum interpretatur latinè ſermo, vel, ùt alijs placet, oratio, aut planè ratio, inſtitutum pro importanda rationali facultate, quæ eſt natura Logicæ, ſed pro hac exploranda inſtituitur præſens tractatus procemialis, in quo ſit

DISPUTATIO I.
De Natura Logicæ.

NAtura rei idem ſonat quod quidditas, eſſentia, proinde comprehenduntur prædicata in primo, & ſecundo modo dicendi per ſe, quæ de Logica eo ordine, quo procedemus in alijs materijs, tractabimus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Logica Artificialis?

DIco: Logica Artificialis eſt habitus intellectualis verum â falſo juxta infallibiles regulas diſcernens. Ita in re communiter Philoſophi: pro inteiligentia.

Sciendum eſt Logicam ſignificare facilitatem intellectûs quâ quis verum dignoſcit à falſo, & quando hoc fit ſinè regulis, dicitur Logica naturalis v. g. quando ruſticus Lumine naturæ apprehendit ignem, judicat eum eſſe calidum, ac infert hyemali tempore potius quam æſtivo tempore prodeſſe; Si verò juxta regulas infallibiles v. g. ſi quis ex modo & figura conſtantibus præmiſſis ſciat aliud inferre, habet Logicam artificialem.

Logica artificialis eſt duplex, alia *infuſa*, id eſt levi ſtudio comparata, aut potiùs cœlitùs data: alia *acquiſita* id eſt inſigni labore empta, quam Dij ſicut *omnia laboribus vendunt*: utraque

Dividitur in *Docentem* (vel â rebus abſtractam) & *Utentem* (vel conjunctam) prima eſt doctrina regularum Logicalium v. g. quod definitio debeat conſtare genere, & differentiâ; altera eſt exercitium juxta talem doctrinam vel regulam: utraque ſecernitur in *habitualem* & *actualem*.

Porrò

Porrò Logica artificialis Docens *habitualis* eſt facilitas cognoſcendi regulas boni Syllogiſmi; Docens *actualis* eſt actus intellectûs, quo cognoſco quomodo debeat fieri Syllogiſmus, & ſi promptitudo illa ſe extendat ad omnes regulas, dicitur totalis vel adæquata, ſi verò ad unam, dicitur partialis; ita de *actuali* quoque tenendum eſt. Logica utens *habitualis* eſt facilitas faciendi Syllogiſmum: *actualis* eſt ipſa confectio Syllogiſmi, de quibus plura quæſtionibus ſequentibus. His præmiſſis, infertur quòd detur Logica, & probatur concluſio ex regulis bonæ definitionis in dialectica videndis: Confirmatur communi conſenſu.

Obijcies: hæc definitio non convenit omni & ſoli ergo &c. probatur antecedẽs, primò non convenit Logicæ Sophiſticæ, ergo &c. ℞. Negando antecedens, ac probationis conſequentiam, quia Logica Sophiſtica aliud non eſt quam error Logicæ, unde illa diviſio in Analyticam, Topicam, & Sophiſticam non eſt acceptanda quàm prout in dialectica docui.

Inſtabis: nec convenit utenti, quia hæc ſæpè non eſt facilitas ſed actus. ℞. quando in definitione dicitur habitus, intelligi, vel actus, aliàs nec docenti actuali conveniret: an autem competat utenti & quomodo, lege in quæſt. ſequenti.

Inſtabis: ſaltem ſoli non convenit, ergo &c. probatur antecedens: ruſticus naturali lumine infert infallibiliter quædam v. g. ex eo quòd octo ſint plus quàm quatuor, colligit ſtipendium pro octo militibus eſſe duplicandum reſpectu ſolventis quatuor tantùm, ergo &c. ℞. Negando antecedens probationem diſtinguo: ſignatè N. exercitè tranſeat: ſic dico, quia cùm Logica artificialis fundetur in principijs naturæ, talis eſt radicaliter Logicus, quanquam non ſciat ſe eſſe logicum.

Obſerva, quod aliæ diviſiones Logicæ ad has reduci poſſint, ſi enim quis dicat aliam eſſe *Univerſalem*, aliam *Particularem*, intellige per *priorem* omnes omninò regulas, per *alteram* determinatam quandam doctrinam v. g. regulæ modorum ſunt Logica *Particularis*; diviſio autem in Logicam *Parvam* ac *Magnam* potior eſt ex conſuetudine quàm rigore, niſi confundantur hæ claſſes cum Docente ac Utente, pro quo ſit.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Logica Artificialis?

DIco: Propriè tantùm eſt unica Logica artificialis, ſcilicet ipſa Docens vel Dialectica. Ita ex Profeſſo contra modernos,

Explico mentem meam cum Sco. q. 3. Prologi, magna Logica quæ his temporibus traditur non eſt propriè Logica, ſed debet dici utens regulis dialecticis in materia dialectica, adeóque hæc non eſt propriè Logica ſed tantùm proba dialecticæ, quæ dialectica ſola eſt artificialiter docens: concluſio ſic explicata probatur primò, Logica eſt habitus benè diſcurrendi, ſed ſola Docens eſt talis habitus, ergo hæc ſola eſt propriè Logica. Probatur minor: Utens habitualis eſt facilitas conficiendi, actualis eſt ipſa confectio ergo &c.

Confirmatur: Logica Utens eſt exercitium vel proba dialecticæ, ergo propriè non eſt ipſa dialectica.

Reſpondent, utentem eſſe facilitatem & probam in materia Logica: C. quâcunq; N. Contra: facilitas, vel proba in materia phyſica &c. non eſt propriè Logica, ergò neque proba in materia Logica.

Probatur ſecundò: regulæ cognitæ ſunt propriè Logica Objectiva, non autem confectum juxta regulas: ergo cognitio regularum, vel facilitas eas noſcendi eſt tantùm propriè Logica formalis, non verò confectio vel promptitudo conficiendi; antecedens patet: quia tale confectum eſt in alijs facultatibus. Confirmatur in ſequentibus de Diſtinctione habituum, neceſſitate &c.

 Obij-

Obijcies I. Logica artificialis alia eſt Docens alia Utens ergo eſt duplex. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ita ut una ſpecies ſit propria, altera impropria C. Secùs Nego antecedens, & conſequentiam.

Inſtabis: Logica Docens ſinè Utente non eſt perfecta, ergò tam Utens quam Docens eſt propria ſpecies, quarum quælibet ſeorſim eſt Logica inadæquata, conjunctim verò ſunt tota Logica: probatur antecedens: non poteſt doceri quomodo fiat Syllogiſmus niſi fiat proba ergo &c.

Reſpondeo Negando antecedens, probationem diſtinguo, niſi fiat proba vel in materia Logica vel aliena C. neceſſariò Logica N. antecedens, & conſequentiam. Quòd autem ſæpè fiat in materia Logica per accidens eſt.

Inſtabis: non poteſt doceri quomodo fiat Syllogiſmus, niſi fiat exercitium in materia Logica, ergo &c. probatur antecedens: definire terminum, figuram, hæc dividere, ſunt exercitia in materia Logica, ſed ſinè his non poteſt doceri Syllogiſmus, ergo &c. Reſpondeo Negando antecedens, probationis minorem diſtinguo: ſinè his ſpectantibus materialiter & in obliquo ad Logicam non poteſt doceri C. ſpectantibus formaliter N. minorem, quidquid fit ſignatè, eſt formaliter Logica, quidquid exercitè

ma-

materialiter: imò licet hæc ſint exercitia, non tamen quà talia, ſed quatenus docentia ſpectant directè ad Logicam.

Obijcies II. Si tantùm unica Logica foret, deberet dici ſimplex qualitas, hoc nequit dici: ergo nec illud: probatur minor: alias qui ſciret unam Concluſionem ſciret omnes facere. Reſpondeo ſequelam Negari poſſe, quia hæc quæſtio eſt diſtincta ab illa, an Logica ſit una ſimplex qualitas: Nego tamen minorem: probationem diſtinguo, qui ſciret unam perfectè, ſciret omnes C. imperfectè N. pro quo benè adverte, ùt perfectè aliquid ſcias requiri notitiam conſtitutivorum & diſtinctivorum, unde nemo ſcit perfectè facere Syllogiſmum in Darij, niſi ſciat per omnes modos.

Inſtabis: in Logica ſunt cognitiones & difficultates numerô & ſpecie diſtinctæ: ergo nec eſt ſimplex qualitas nec unica. Reſpondeo diſtinguẽdo antecedens: tendentes ad eundem finem, id eſt notitiam formæ Syllogiſticæ C. ad diverſas N. antecedens: & dico, licèt Logica materialiter ſit diverſa, vel etiam connotativè, & ab extrinſeco v. g. infuſa, & acquiſita, unicam tantùm eſſe ſpecificè docentem perfectè diſcurrere.

QUÆSTIO III.

Quomodo diſtinguantur Docens & Utens habituales?

DIco: Logica habitualis Docens & Utens habitualis realiter diſtinguuntur: eſt contra Thomiſtas, & varios Scotiſtas de mente Scoti altercantes, ſed his nunquam diu immorabor ad veritatem tendens; dicitur autem notanter *habitualis*, quia *actuales* inter ſe & ab *habituali* realiter diſtinguunt facilè omnes.

Probatur: habent ſigna diſtinctionis realis, ergò realiter diſtinguuntur: probatur antecedens, ſigna ex dicendis ſunt ſeparatio actualis interduo, vel potentialis, vel proportionalis, id eſt quæ ſe habent ut producens & productum, ſed, ergò. Minor probatur, multi habent utentem habitualem ſinè docente & è contra, ergo &c. Probatur Antecedens, multi perfectè loquuntur latinè obliti regularum Grammaticæ, ita & Syllogiſmos faciunt omninò perfectos, obliti modorum: Tyrones verò exactè ſciunt regulas & hæſitant in exercitio ſæpè.

Reſpondent: Tyrones ab extrinſeco deficere: fateor non ſic ſtringi Adverſarios quàm cum his qui ſunt obliti regularum, nec juvat dicere cum Poncio tales non eſſe per-

perfectos, contrarium patet in latinè ſcribente vel loquente, item in facilè perſuadente, at non exhibente Concionatore reſpectu pietatis.

Confirmatur: Docens habitualis eſt facilitas cognoſcendi regulas, Utens habitualis eſt facilitas faciendi, ergo habent ſigna diſtinctionis. Probatur Conſequentia: prima eſt principium ſecundæ, ſicut confectio præſupponit docentem actualem: item ſi quis haberet Docentem perfectam, ille per varios actus Utentis intenderet habitum Utentis, non Docentis, quia ille perfectus eſt antecedenter. Tandē Utens eſt facilitas exercendi in materia Logica præcisè, aliàs etiam Phyſica erit Logica Utens, ſed Docens non eſt pro materia Logica præciſè.

Reſpondent, inferri quod diſtinguantur extrinſecè, terminativè &c. C. formaliter N. Contra eſt, quòd non tantùm in illis ubi eſt duplex potentia, ſed etiam in eodem intellectu deducatur eſſe unus habitus ſinè alio, ergo &c.

Obijcies: unus illorum habituum eſſet ſuperfluus: ergo non ſunt realiter diſtinguendi. Probatur Antecedens: expeditè ſciens quomodo debeat fieri Syllogiſmus, etiam facilis eſt ad conficiendum, niſi ab extrinſeco impediatur. ℞. Negando Antecedens cum probatione, ùt de Tyronibus

 di-

dicebam: imò plus ſæpè infertur, quàm Adverſarij velint, ſcilicet nec Docentem & Utentem actuales diſtingui, at quia hic ſæpè pertinaciter experientiæ negantur, vel oppoſitæ putantur, tranſeat probatio, ſed non ècontra v. g. Juriſta oblitus dialecticæ facilis eſſe poteſt ex dialectica ſemel habita.

Inſtabis: talis non haberet Utentem habitualem artificialē, ſed naturalem, ſi eſſet oblitus regularum. ℞. Negando aſſumptū: ſuppono enim quòd ſemel ſciverit illas regulas, unde ego vel alius oblitus Grammaticæ non loquor latinè per habitum infuſum, ſed illum quem acquiſi aliquando ſciens Grammaticam.

Inſtabis: licèt diſtinguatur Docens ab Utēte elicitiva id eſt in materia aliena, non tamen directiva: ita quidam Scotiſtæ communiter rejecti ab alijs, ſed benè hanc duplicem Utentem diſtinguunt: peccatur autem in eo, quòd Utens in materia Logica directiva vocetur, hoc enim eſt ſolius Docentis: unde Reſpondeo Negando aſſumptum: licèt enim uſus fiat in materia Logica ſicut Phyſica, quod alij ſinè ratione negant, neque tamen ille uſus dirigit, neque cum Docente indiſpenſabiliter hæret, ſivè actualiter ſivè habitualiter ſumatur Utens.

In-

Inſtabis: idem eſt habitus charitatis proximi & Dei, ergò quoque unus eſt habitus Docentis ac Utentis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens, ſi tendant in idem objectum formale C. aliter N. Docens autem dirigit, Utens verò probat regulas dirigentes. Si dicas probando dirigit. Reſpondeo quatenùs utens nunquam inclinat ad directionem, licèt ille uſus ſæpè in obliquo comitetur.

DISPUTATIO II.

De Qualitate Logicæ.

POtiſſimùm dicenda intelligi debent de Logica Docente, quàm ſolam propriè Logicam comprobavimus, de Utente cum addito, & poſt eſſentialia utrinque qualitates examinandæ veniunt, pro quarum notitia ſit

QUÆSTIO I.

An Logica ſit Scientia?

DIco: Logica non eſt ſcientia, nec ars &c. ſed Modus vel Inſtrumentum ſciendi: ita ex profeſſo, licèt Græcis hæc quoquè Sententia tribuatur & Zabarellæ Patavino, intelligitur autem de Docente, contra Scholam Subtilem, Angelicam, & Neutriſticam in quibus docetur quòd Logica Docens

cens ſit ſcientia, Utens verò ars: & contra Simplicium, ac paucos alios volentes quòd nec Utens, nec Docens ſit ars: ego enim quanquam ſolam Docentem propriè Logicam tuear, ſi tamen in gratiam temporum Utentem tradam, eam ſcientiam eſſe volo, non autem Docentem, contra Javellum qui utramque ait eſſe ſcientiam. Nè tamen ſit lis de nomine

Suppono primò cum communi, dari quinque habitus intellectuales, *Intellectum* vel *Intelligentiam*, *Artem*, *Prudentiam*, *Sapientiam*, *Scientiam*: Intellectus eſt *habitus primorum principiorum*: id eſt promptitudo cognoſcendi per ſe nota v. g. totum eſt majus parte ſuâ. Ars eſt *habitus cum recta ratione factivus*, id eſt dictamen quomodo oporteat aliquid facere (Nota) ly *facere*. Prudentia eſt *habitus cum recta ratione activus vel conſiliativus* tendens in objectum moraliter bonum vel malum. Sapientia *eſt habitus inclinans intellectum circa res altiſſimas univerſales* v. g. circa Deum, poſſibilia &c. Scientia eſt *habitus proveniens à cognitione certa & evidente, de objecto neceſſario per demonſtrationem acquiſita.* Ex Ariſtotele primo poſter. c. 2. teſte Scot. q. 1. Prologi: vel ſi eſt ſcientia actualis, eſt ipſa cognitio de tali objecto ſic acquiſita, quæ verò ſciuntur per fidem, auditum, vel aliter faciunt ſci-

entiam Largè ſumptam. His adde Modum vel Inſtrumentum ſciendi velut ſextum habitum,

Suppono ſecundò: quòd ars ſit duplex: *impropria*, prout cuilibet habitui poſſet adaptari: *& propria*, quam dixi eſſe ***habitum cum recta ratione factivum***, id eſt docentem quomodo aliquid rationabiliter debet fieri: at quia fieri poteſt aliquid cum ſolo intellectu, & ſimul cum alia potentia, hinc ars propria dividitur in liberalem & mechanicam: prima eſt promptitudo ad opera potiſſimùm intellectualia, cujus ſunt ſeptem claſſes juxta Sententiam Communiorem utpote

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra: id eſt Grammatica, Rhetorica, Logica utens, Arithmetica Muſica, Geometria & Aſtrologia, ſed Poëtis multa licent. Ars mechanica eſt dictamen intellectus circa res faciendas cum organis corporeis, quæ quoque ſeptiformis eſt:

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber. id eſt agricultura, venatio, armatura, navigatio, chirurgia, textoria, fabrilis: ſed ſicut ſupra addidit *ratio* ut verſus compleretur, ita hic multas omiſit ne ſupergrederetur, niſi per fabrilem omnes alias intelligeret: his ſuppoſitis.

Pro-

Probatur Concluſio primò. Ariſtoteles 2. Metaph. & alij Claſſici poſt ipſum vocant Logicam modum ſciendi: ergo non eſt ſcientia: probatur Conſequentia, quia ibidem inquit; eſt abſurdũ ſimul ſcientiam & modum ſciendi acquirere;

Reſpondent, per hoc voluiſſe tantùm quòd non oporteat ſimul Logicæ & Metaphyſicæ ſtudere. Contra: idipſum eſt quòd modo Doctores plurima ex Metaphyſica ad Logicam transferant, ijs enim demptis & his quæ ad Dialecticam pertinent, nihil ſupereſt, unde faciant ſcientiam, ubi tantùm modus ſciendi eſt. Confirmatur: 6. Metaph. facit mentionem ſcientiarum non Logicæ: nec valet, realium, quia & Logicam docebo realem; deinde 1. Top. res Logicas vocat problemata inſtrumentaria; & 1. Rheto. dicit qui dialecticam ùt ſcientiam inſtituere conatur, ejus naturam interimere videtur.

Reſpondet Poncius, per hoc velle Logicam non tantùm verſari circa objectum, ſed etiam quòd doceat quomodo debeat fieri, ſed præterquam quòd hoc alijs verbis ſonet quà Docens eſt modus ſciendi, quà Utens ſcientia, l. c. eplicitè dialecticam vetat ſcientiam dici, quidquid autem eſt Docentis Logicæ formaliter, ad dialecticam pertinet, reliqua materialiter, vel ad Metaphyſicam. Re-

Reſpondet author ci. Maſtrius & compendiatores ejus: Logica eſt modus ſciendi objectivè C. formaliter N. Contra: Logica formalis eſt modus ſciendi formalis, Logica Objectiva eſt modus ſciendi objectivus, ipſa enim formaliter eſt habitus dirigens, docens verum à falſo diſcernere. Confirmatur: apprehenſio formalis, eſt actus intellectûs, objectiva, res quæ apprehenditur juxta omnes, ergo Logica formalis eſt habitus intellectûs, objectiva ipſi modi ſciendi objectivè ſumpti, id eſt regulæ cognitæ. Probatur ſecundò: Logica Docens non habet conditiones ad ſcientiam requiſitas ergò &c. Antecedens probatur â Rebarella quia non eſt de neceſſarijs ſed in efficaciter, quia ſtatim.

Reſpondent: res Logicas eſſe contingentes quoad exiſtentiam C. quoad eſſentiam N. aliter ergo probatur: quia non eſt per demonſtrationem acquiſita ergo &c.

Reſpondent per demonſtrationem artificialem non eſt acquiſita C. naturalem N. Contra: demonſtratio naturalis ſignificat aliquod artificiale naturale quod eſt ens chimericum, licèt demonſtratio fundetur in primis principijs, ipſa tamen eſt principale artificium Logicum, aliàs quoque eliminaretur neceſſitas dialecticæ.

Reſpondent alij, Negando ſuppoſitum

quòd

quòd hæc conditio requiratur ad talem ſcientiam qualis eſt Logica. Contra: ſic dicam eſſe ſapientiam, eſſe artem &c. Si arguas non eſt factiva, non eſt circa altiſſima: dicam hæc non requiri ad talem artem qualis eſt Logica.

Reſpondent diſtinguendo Conſequens: ergo non eſt ſcientia propriè C. analogicè N. Contra: nec quidem per analogiam, quia ſi quis incipiat ſtudere dialecticæ poteſt eam ferè totam ſcire, priusquam jota de demonſtratione audiat.

Reſpondent retorquendo argumentum: pro primo malleo non fuit alius malleus, & ſic pro prima ſcientia non requiritur demonſtratio. Contra: Malleꝰ poteſt fieri absque malleo, v. g. fundi poteſt, at nulla ſcientia ſinè demonſtratione; nec valet ſufficere naturalem, quia prima principia ſunt fundamentum ex quibus talis artificioſus modus acquirendi ſcientias eruitur.

Reſpondent alij: Logica Utens non eſt ſcientia C. Docens N. Contra: omnes hæ rationes ſunt de Docente & oppoſitum eſt verum; tum quia Utens in materia Phyſica eſt ſcientia; tum quia hæc eſt per demonſtrationem, hoc tamen non niſi propter conſuetudinem tradendi admitto: quia, ſi tollas quæ ad Metaphyſicam pertinent, & demas ad dialecticam docentem

tem pertinentia, iſta Logica magna evaneſcet, exceptô prologô, & paucis alijs exercitijs, quæ in viro perfecto ſupponunt Docentem.

Reſpondent alij, hoc eſſe Argumentum commune; Sed contra: quid communius? Deus ſcit futura, ergo non fiunt liberè: & tamen nullus Doctor hoc ſatis penetrat; utinam fundamentalibus alij ſeriò magis incumberent.

Obijcies I. Ariſtoteles, S. Aug. Scotus dicunt Logicam eſſe Scientiam, imò Doctor Sub: ſolvit Argumenta Philoſophi Quæſt. 1. Univerſalium. Reſpondeo eos loqui de Utente, vel ſi de Docente intelligant, eos hoc paſſu non ſequar, ut paucis multa dicam.

Obijcies II. Propter quod unumquódq; eſt tale, illud eſt magìs tale, ſed propter Logicam aliæ Facultates ſunt ſcientiæ, ergò ipſa erit ſcientia ſcientiarum. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem, ſi eſt denominationis capax C. ſi ſecùs N. Nec dicas principium peti: quia quod eſt alteri ratio eſſendi tale, nequit in recto dici tale, v g. murus dicitur albus, non autem albedo alba, & ſi propter vinum quis ſit ebrius, non tamen vinum eſt ebrium. Reliqua ſunt Encomia non prædicata intrinſeca Logicæ. C In-

Inſtabis: Logica habet omnes Conditiones. Reſpondeo, oppoſitum conſtare ex probationibus., & plurima feruntur, quæ de Logica Utente concludunt.

Inſtabis: hæc eſt Logica Docens: quicunque vult facere demonſtrationem, debet facere Syllogiſmum perfectum in forma, & habere Materiam neceſſariam, ſed dicendo: omnis Propoſitio debet eſſe Oratio, omnis enunciatio Categorica eſt Propoſitio; ergò eſt oratio; habet formam perfectam, & materiam neceſſariam, ergò ſic dicendo facio bonam demonſtrationem: ſed hic actus eſt ſcientificus, ergo Logica Docens eſt ſcientia. Reſpondeo: tranſeundo Ma. Diſtinguendo Minorem: ſed hic actus quà Utens. C. quà Docens N. Minorem, & Conſequentiam; reflexè quidem fit, quòd unus actus ſub diversa ratione ſit Docens & Utens, at in ratione Docentis nunquam eſt ſcientificus: Exemplifico: Concionator aliquis prædicat, ut omnia fiant ab hominibus in Nomine JEſu; caſu quo ille, & Concionem faceret in hoc Nomine, hoc non facit quà Docens eſt, ſed quà Utens eâdem monitione ſibi antecedenter facta vel lecta.

Inſtabis: quà Docens eſt ſcientia, ergo ſolutio ruit: Probatur Antecedens quà Concionator meretur, & non quà homo, ergò

ergò talis actus quà Docens eſt ſcientia. Reſpondeo. Negando Antecedens cum probatione, quà Concionator quidem concionatur, & ita Logica quà docens docet, vel eſt modus ſciendi: ſed tantùm meretur per actum prædicationis importatū in obliquo, ita ferè ſe res habet: deinde non fit comparatio ad meritum, ſed ad concionem formaliter.

Obijcies III. Logica non eſt alius ex quinque habitibus intellectualibus, ergò ſcientia. Reſpondeo, Negando Conſequentiam; quia ibi tantùm habitus principales enumerantur, non inſtrumentales. Nec dicas: etiam prudentia eſt habitus inſtrumentalis in ordine ad actiones morales, & tamen ibi allegatur. Reſpondeo hoc prudentiæ eſſe ſecundarium, formaliter enim eſt virtus: at Logica nihil prodeſſet, niſi ſerviret ſcientijs, ſi de ſola Docente loquar.

Obijcies IV. Logica actualis Utens parit habitum Docentis, ergò ſi illa eſt ſcientia, etiam Docens; actus enim generant habitus ſibi ſimiles: Antecedens patet, quia per continuum exercitium in materia Logica, intenditur Logica docens.

Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens ut ſupra, quà Utens N. aliàs etiam Utens in materia Phyſica hoc faceret; quà Docens, vel quia ſæpè ſubſtrata Docenti C. ſed Nego Conſequentiam.

 Obij-

Obijcies V. Saltem hanc Concluſionem eſſe contra Scotum. Reſpondeo Doctorem non obſcurè Quæſt. 2. Univerſ. inſinuare noſtram: vocat quidem Logicam ſcientiam,ſed addit:ſcientiam communem eſſe, id eſt, quatenus materiæ Logicæ, vel Phyſicæ,vel alteri applicatur,quaſi diceret, ipſamDocentem eſſe viam ſciendi, at uſam vel applicatam primò ſcientiæ rationem habere. Si dicas,ſaltem analogicè erit ſcientia. Reſpondeo non aliter quàm impropriè, in quantum eſt habitus intellectualis, qui eſt via veritatis,vel forma per quam ſcitur.

QUÆSTIO II.

An Logica ſit Speculativa, vel Practica.

Dico: Logica nec eſt Speculativa, nec Practica: ſed Modus vel Inſtrumentum inſerviens ſcientijs ſpeculativis,& practicis. Ita ex Profeſſo contra terrentem;

Probatur primò, Ariſtoteles 1. Topic. c. 9. diſtinguit tria genera Problematum, alia Speculativa, alia Practica, alia utrisque adminiculantia vel inſervientia. Nec valet: quod Reſpondent: per ſpeculativa intelligi pertinentia ad ſcientiam realem: præterquam enim quod infrà docebitur: & Logicam eſſe realem; Contra eſt,quòd idem Philoſophus dividat ſcientiam in Speculativam

tivam,& Practicam, ſed Logica non eſt ſcientia, ergò &c. Confirmatur: inter ſpeculationem & praxin datur medium per abnegationem utriusque extremi; ſicut inter rationale & irrationale non rationale v.g. lapis, ſed tale medium nulli facultati meliùs convenit, quàm modo ſpeculandi, ergò &c.

Probatur ſecundò: ex illo *quòd eſt alteri ratio eſſindi tale*: prout in præcedenti Quæſt. deductum eſt. Si tamen licèt in bono ordine digreſſionem facere, ipſam Logicam Utentem, quam defendo ſcientiam eſſe, Dico, ſimpiiciter Speculativam: pro cujus intelligentia.

Sciendum eſt ex Scot. q. 4. Prol. quòd praxis definiatur. *Actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi*: vel ſi non eſt actus alterius potentiæ: *ſaltem proximè ad eum ordinetur*, uti actus Theologiæ ad amorem Dei; quaſi diceret Scot. cum Ariſt. 2. Metaph. ille habitus eſt Practicus, cujus finis eſt opus, Speculativus, cujus finis veritas; ex quo vides ad praxim requiri primò, ùt non ſit intellectio, vel ſi eſt talis, habeat pro fine opus extra intellectum; deindè dicitur *naturaliter poſterior intellectione*, ùt inſinuetur illos actus tantùm dici praxes, qui prærequirunt lumen

 in-

intellectûs: per quod excluduntur actus vegetandi, nutriendi &c. Nihil enim volitum, niſi præcognitum; tandem additur: *natus elici conformiter rationi rectæ*, ad excludendos actus, qui quidem præſupponunt lumen intellectûs, ſed non petunt ab eo regulari v. g. motus primo primi. Neque curandum eſt quòd RR. dicant, tantum non requiri ad praxim; illi enim volunt, ſive opus ſit extra, ſivè intra intellectum, ſufficere ad praxim; Tum quia ipſe Ariſtoteles inquit: *Intellectus extenſione fit practicus*; Tum quia actus intellectûs tendens in verum, ſicut voluntatis in bonum, nequit opus dici, nam veritas operi opponitur. Nunc

Probatur: quòd Logica Utens in materia Logica (quàm in gratiam temporum trado, & impropriè Logicam volo) ſit ſcientia ſimpliciter Speculativa: Logica Utens in materia Phyſica, & Metaphyſica eſt Speculativa; Ergò à pari. Confirmatur: quamvis ſit habitus conficiendi Syllogiſmum, ille tamen non eſt opus, nec propter opus, ſed propter veritatem, ſcilicèt ùt probentur regulæ Logicæ, & ùt earum firmitas appareat: Ergò &c.

Reſpondent aliqui: Diſtinguendo Conſequens, ergò eſt Speculativa ſimpliciter N. partim practica. C. Contra: illi ita con-

confuſè ſua tranſcribunt, ùt nec ipſi ſciant an de Docente, vel Utente loquantur: ſupponunt actum intellectûs poſſe dici opus &c. quæ falſa ſunt, & errorem cauſant.

Obijcies I. Logica Docens dirigit operationes intellectûs: Ergò eſt Speculativa, vel Practica; Probatur ſequela: vel enim dirigit operando, & ſic eſt Practica, vel absque opere, & ſic erit Speculativa. Reſpondeo Diſtinguendo Antcedens: dirigit ſignatè: C. exercitè N. Antecedens, & Conſequentiam.

Inſtabis: ad ſcientiam Speculativam ſufficit, quòd ſignatè dirigat: Ergò &c. Probatur Antecedens: quia Phyſica quoque ſignatè monſtrat, quomodo fiat corpus naturale. Reſpondeo Negando Antecedens, cum probatione; non enim dirigit quomodo debeat ſpeculari; ſed hunc modum à Logica habet, & illi conformiter ſpeculatur.

Inſtabis: Docens nihil operando verſatur circa ſuum objectum: Ergò &c. ℞. ùt ſuprà, & rurſus exemplifico: Concionator qui prædicat quomodo debeat quis meditari, eo ipſo non meditatur, imò ſæpè nunquam, ſed dat modum meditandi.

Inſtabis: cum Poncio: ſi Logica eſt directiva, erit Practica; quia eſt directiva praxis. Reſpondeo Negando Aſſumptum:

cum probatione, ex dictis, & dicendis de praxi, Logica autem dirigit tres mentis operationes pro omni materia.

Inſtabis: Ariſtoteles 3. de Anima: dividit intellectum adæquatè in Practicum, & Speculativum, Ergo &c. Reſpondeo: loquens de habitibus principalibus: C. ſimul inſtrumentarijs N. Antecedens & illatum.

Objicies II. contra digreſſionem factam: Logica Utens operatur, facit enim Syllogiſmum; ſed operari eſt practicare: Ergò &c. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem; Operatur intellectualiter: C. facit opus extra intellectum N. Majorem: ſic diſtinctâ Minore: Nego Conſequentiam: ſic plura ſolves.

Inſtabis: Cognitio Medica, & Theologica eſt etiam opus intra intellectum, & tamen Practica; Ergò licèt Utens Logica faciat opus intra intellectum, erit Practice. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: & habent pro fine opus extra intellectum, ſcilicet Medicina ſanitatem corporis; Theologia amorem Dei: C. & habent pro fine veritatem ſicut proba Logica, N. Antecedens, ac paritatem.

Inſtabis: Actus intellectûs ſunt quoque praxes, ergò quemcúnque finem habeat, erit Practica. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: Actus eliciti, quales ſunt in

Logica:

Logica: N. imperati, id eſt qui à voluntate imperantur, ita ùt ſint laude, vel vituperiô, digni: C. & ſi talis Utentem ingrederetur, per accidens foret: imò & illi imperati non ſunt praxes, ſi tendant in veritatem, ſicut probæ regularum Logicalium in propria materia.

Inſtabis: hoc non excipit à praxi, ſi quid tendat in verum, aliàs in definitione praxis exprimeretur. Reſpondeo utiq; exprimi: *Natus elici conformiter rationi rectæ:* ubi per rationem intelligo prudentiam, quæ verſatur circa opus in genere moris bonum, vel malum, non verum.

Inſtabis: ſaltem ſecundùm quid erit practica. Reſpondeo: ſicut homo pictus dicitur homo; & ſi quæras potiſſimam rationem; dico praxim proprijſſimam eſſe: quando opus eſt extra intellectum, & ſinè fine veritate: quando autem eſt opus intellectûs ſinè fine veritate, ad huc eſt propria praxis; quando eſt actus elicitus propter veritatem, eſt puriſſima ſpeculatio; quando imparatus propter veritatem, adhuc propriè Speculativus eſt.

Inſtabis: ideo ars domifactoria eſt practica, quia dirigit opus, ergò, &c. Reſpondet Hermann, & hæc directio eſt opus intellectûs N. non eſt. C. ſed quantum eſt in rebus inane, formalis directio eſt cognitio

quomodo debeat fieri domus. Reſpondeo aliter: quia dirigit opus extra intellectum, & ſine veritate C. aliud N. Antecedens, & Conſequentiam.

Obijcies III. Logica Utens eſt habitus cum recta ratione factivus, vel ars, ergò practica. Reſpondeo Negando Antecedens, quidquid Poëta canat: illa enim inclinat ad conficiendum Syllogiſmum, velùt probam principiorum infallibilium, quod eſt in veritatem tendere;

Inſtabis: Logica Utens eſt de contingentibus, particularibus, ſæpè ſinè demonſtratione: Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: in completè accepta tranſeat; completè N. denominatio deſumitur à potioribus, quæ ſi non ſecundùm exiſtentiam, ſaltem eſſentiam ſunt neceſſaria; Sic etiam dic: Si obijciatur, quòd agat de Topicis, Sophiſticis, licèt deSophiſmate ſpecialiter egerim.

Inſtabis: etiam Grammatica completè ſumpta inclinat ad loquendum juxta regulas infallibiles, & tamen eſt ars practica, Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: juxta regulas veritatis N. aliàs tranſeat, ut enim ait Rotendi, Grammatica eſt de Sermone congruo, Rhetorica ornato, Logica, vero; Si petas, an Logica Utens habitualis, vel actualis, ſit ſcientia

Spe-

Speculativa? Dico, quòd utráque proportionaliter.

QUÆSTIO III.

An Logica ſit facultas realis vel rationis?

DIco: Logica eſt facultas realis. Ita ex profeſſo contra quàm plures, qui hallucinantur ex eo, quòd dicatur rationalis, & contra alios Scotiſtas, qui duasLogicas fingunt, *unam, in ſe conſideratam*, aliam, *proùt ab Ariſtotele traditur*, volentes priorem eſſe realem, alteram rationis, Contra hos & illos:

Probatur primò: Logica Docens (idem eſt de Utente ferè) alia eſt habitualis, alia actualis, ſed utráque eſt realis ergò, &c. Probatur Minor, utráque poteſt conſiderari duobus modis, nempè formaliter, & objectivè; Sed utrôque modo ſunt reales Ergò, &c. Probatur Minor, imprimis ſi formaliter conſiderentur, habitualis eſt promptitudo cognoſcendi regulas, & actualis cognitio regularum, ſed ille habitus, & cognitio verè dantur à parte rei, & ſunt qualitates, in intellectu, vel anima: Ergò, &c. Deindè ſi conſiderentur objectivè, ſunt ipſæ regulæ infallibiles, ſed hæ quóque ſunt à parte rei Ergò, &c. Major patet; illud enim dicitur habitus vel actus ob-

objectivus, circa quod verſatur actus; Minor probatur: hæ regulæ non ſunt ideo infallibiles & veræ, quia intellectus fingit eas eſſe veras, ſed è contra, ideo intellectus judicat eas eſſe tales, quòd in ſe ſint tales, *ex eo enim quòd res eſt, oratio dicitur vera*, ex Ariſtotele cap. de Subſtantia.

Reſpondent: Diſtinguendo Minorem: Sed hæ regulæ ſunt à parte rei fundamentaliter. C. actualiter. N. Contra: Sunt actualiter à parte rei: Ergò, &c. Probatur Antecedens: Fundamentum infallibilitatis ſunt prima principia in quibus fundantur hæ regulæ, Ergò ſicut illa principia ſunt in ſe vera actu independenter ab intellectu, ita & regulæ.

Reſpondent Logicam ſecundùm ſe eſſe realem inferri. C. quatenus traditur ab Ariſtotele ſub terminis ſecundæ intentionis. N. Contra: vel Logica Ariſtotelis eſt habitus inclinans ad cognoſcendum regulas infallibilis deductionis, vel non; Si ſecundum, illa parum adverſarijs proderit; ſi primum, cum Logica in ſe una eſt; fortè exceptis terminis, ſub quibus traditur: dico *fortè*, licèt enim alij fingerentur, vocetenus differrent, non ſignificatione: Ex quo

Probatur Concluſio ſecundò: Si Logica foret facultas rationis, eſſet ideò, quia ipſa & in nomine, & in re rationalis eſt, ſed hæc

ratio

ratio potiùs infert eſſe realem, ergò &c. Major eſt fundamentum Adverſariorum; Minor probatur: Logica dicitur rationalis, quia eſt habitus juxta regulas infallibiles docens unum ex alio inferre, id eſt, cum ratione diſcurrere, non quia eſt quid fictum à ratione: Ergò &c. Confirmatur: Sunt quidem prudenter excogitati termini ſecundæ intentionis, quibus, cum res ad Scholas ferre non poſſimus, & de ſingulis in particulari agere plusquàm chaos foret, quibus, inquam, plura ſimul comprehenduntur; ſed termini iſti non ſunt Logica, ſed ipſam ſupponunt, ergò licèt brevitatis ac claritatis cauſa, hi ſint inventi à Philoſophis, non tamen Logica eſt quid fictum. Nec dicas formaliter: C. Objectivè N. vel fundamentaliter: C. actualiter N. Contra: ipſæ regulæ quoad nos quidem non erant notæ, ſed in ſe fuerunt æternæ veritatis: Ergò quòd artificialibus terminis ſit ornata, ſe habet contingenter, aut ad ſummum claritatis causâ.

Obijcies I. Logica dicitur facultas rationalis, imò rationis, Ergò non eſt realis: Reſpondeo: explicando Antecedens: id eſt, verſatur circa merè intellectualia, & ſub terminis intellectualibus: C. id eſt ipſa eſt quid fictum N.

Inſtabis: Logica verſatur circa mera en-

tia

tia rationis, & ſecundas intentiones, Ergò ad minus objectivè eſt rationis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: per accidens, & claritatis gratiâ: C. neceſſariò quoad rem N. imò nec hæ ſecundæ intentiones ſunt ſine Fundamento à parte rei.

Inſtabis: eſt impoſſibile contexere Logicam ſinè talibus terminis: Ergò ipſa quidditativè rationis opus eſt. Reſpondeo ferè ùt ſtatim, Antecedens eſſe verum quoad rem; at Nego ſuppoſitum, rem importatam eſſe ſecundæ intentionis, quoad vocem falſum eſt, poſſet enim tradi Logica, Gallicè, Germanicè, imò loco terminorum omnium alij, alia latinitate excogitari, ſicut Caramuel in alia materia uſurpat ſum, ſus, ſut: ſam, ſas, ſat &c. in re tamen omnes tales Logicæ convenirent, quòd de regulis infallibilibus deducendi agerent.

Inſtabis: Logica formaliter ſumpta eſt in intellectu: Ergò eſt quid rationis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: Subjectivè: C. Objectivè velut hircocervus: N. de hîs in ſequentibus.

Inſtabis: Saltem Logica Objectiva eſt quid rationis, quia modi ſciendi ſunt inventi ab intellectu. Reſpondeo Negando aſſumptum, ſunt quidem inventi quoad nos, ſed non quoad ſe.

Objicies II. Logica eſt artificialis ergò ra-

rationis: Probatur Conſequentia: omne artificium intellectûs eſt quid rationis: Ergò, &c. Reſpondeo Negando Conſequentiam, & probationis Antecedens; niſi velis, ſubjectari in intellectu; deindè objecta illa artificialia ſunt in modo, quoad rem fundantur in principiis naturæ: hinc ſi nullus ſciret Logicam, nec inveniſſet, tamen in ſe erat infallibilitas iſta, ſicut ante Scotum diſtinctio formalis ex dicendis.

Inſtabis: tamen prout his temporibus traditur, non eſt niſi congeries terminorum fictorum. Reſpondeo, ſi quis aliam tradat, quam in ſe eſt, hanc nullô Encomiô dignam eſſe, ſi verò eam, quam ſæpè repetivi more Maſtrii infallibilem, peraccidens talibus terminis inſtruitur, proindè ad ſummum extrinſecè rationis eſt.

DISPUTATIO III.

De Fine Logicæ

FInis Facultatis præſertim inſtrumentariæ alius eſt *quo*, & ipſa cognitio, alius *objectivus vel qui*, & eſt ipſum objectum; olim ſubjectum; *alius cui*, & reſpicit perſonam cui ſervit, de primo egimus, de reliquis dicemus, Sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid ſit objectum Logicæ.

DIco: objectum Logicæ eſt Syllogiſmus quoad formam perfectus. Ita cum Scoto q. 3. Univerſ. ſui hinc indè in modo explicandi diſcrepantes: Contra Thomiſtas ac RR. qui tot objecta excogitant quòt ſcripta ferè componunt: aliqui ponunt objectum reale v. g. res omnes, voces, inſtrumentum ſciendi, ſumptum pro ſola demonſtratione; alii ſumptum pro argumentatione; alii ſimul pro definitione, & diviſione; alii ponunt ipſas tres mentis operationes quatenus dirigibiles; & rectum cognitum.

Aliqui ponunt objectum rationis, & hi quóque ſunt diviſi, alii omnia rationis entia; alii ſola fundamentalia; alii demonſtrationem; alii aliud ſub terminis ſecundæ intentionis. Aliqui dividunt Logicam ſecundùm ſe,& ſic aſſignant objectum reale,& in Ariſtotelicam,& ſic rationis eſſe contendunt, cæteris hi impertinentiùs præſertim in via Scoti,quæ aliàs triumphat hic ob concordiam:inter alios quilibet ſuo ſenſu abundat,& tot Sententiæ quòt tempora, pro meliori informatione:

Sciendum eſt, per objectum intelligi id, circa quod facultas verſatur v. g. Sutor

circa Corium vel Calceum; quondam dicebatur *Subjectum Conſiderationis*, contradiſtinctum à *ſubjecto inhæſionis*, id eſt,cui forma inhæret v.g. parieti albedo; hìc autem de objecto conſiderationis agendum eſt:

Porrò objectum ſumitur primò *impropriè*, & ſic omnia ſunt objecta quæ tractantur v. g. in medicina corpus ſanabile, & omnia pharmaca, &c. Deindè *propriè* & ſunt illa,de quibus per ſe ſcientia, vel alius habitus tractat: *objectum propriè* dictum dividitur in *totale*, *adæquatum*, *completum* (ſonant idem) & in *partiale*, *inadæquatum &c.* Primum eſt, circa quod tota facultas verſatur, aliud circa quod pars facultatis agit. Utrúmque ſubdivitur; *totale* enim aliud eſt *prædicationis*, quod prædicatur de omnibus propriè ad habitum ſpectantibus; aliud *attributionis*, ad quod omnia illa referuntur: *partiale* verò, vel eſt *minùs principale*, circa quod v.g. una cognitio verſatur, vel *magis principale*, circa quod integer aliquis tractatus ſe occupat, vel pars ſolennior talis facultatis. Tandem potiſſimum ex his quippè *objectum attributionis* dividitur in *materiale*, *& formale*; primum ſunt res,ex quibus componitur,& hæ ſunt vel *proximæ*, vel *remotæ*: alterum ſcilicet *formale* eſt ratio *ſub qua* conſideratur, v.g. in medicina corpus

D con-

conſideratur ſub ratione ſanabilitatis, vel magis ad rem, ſic

Declaro hæc omnia quoad præſens, ſcilicèt de Syllogiſmo objectivè accepto, prout eſt finis *qui*, quia formaliter ſumptus eſt ipſa Logica Docens, & notanter addo *quoad formam perfectus*, hic enim eſt quæſtio de objecto formali, & materiali ſimul, id eſt, conflato ex utroque: itaque res omnes poſſunt dici objectum largè, objectum partiale quilibet terminus, propoſitio, definitio &c. Objectum principale poteſt dici Syllogiſmus demonſtrativus, vel modi Syllogiſmorum, id eſt, diſpoſitiones propoſitionum; objectum prædicationis erit res quælibet affecta ſecundâ intentione, vel prout de facto per accidens traditur, ipſe terminus ſecundæ intentionis, non autem ens rationis; Chimærica enim impropriè objectum dici debent: Attributionis verò Syllogiſmus perfectus, ita ùt materia ejus remota, vel termini; & proxima, puta propoſitiones, ſint objectum materiale, diſpoſitio verò, & relatio infallibilitatis inter præmiſſas, & conſequens ſit objectum formale, ex utroque conflatum Syllogiſmus objectum Antonomaſticum attributionis: de quo potiſſimùm agam, cum de prioribus vix ulla difficultas, quæ ex his non poſſit ſolvi; &

quod

quòd unum ſub diverſo reſpectu poſſit hujus vel illius rationem habere: quibus prælibatis.

Probatur primò: Refutatione generali aliarum ſententiarum: Logica formalis eſt perfectus modus ſciendi formalis, ergò verſatur circa perfectum modum ſciendi Objectivum, qui eſt Syllogiſmus quoad formam perfectus, nam neque definitio, neque diviſio, neque argumentatio ùt ſic, neque aliud, quod ad Syllogiſmum perfectum non reducatur, perfectè diſcernit verum à falſo. Confirmatur: Sola demonſtratio non eſt quoad formam perfectus ſciendi modus, in hoc enim cum topico convenit: Ergò &c.

Probatur ſecundò: Breviter ſingulatim refutando alios; id nequit dici objectum, quod ultimatè non perficit, vel ſpecificat Logicam; ſed neque à vocibus neque à rebus omnibus, neque ab ente rationis ùt ſic, neque à ſecunda intentione, neque à definitione, neque à diviſione, neque à ſola demonſtratione ultimatè completur, ac ſpecificatur: Ergò &c. Major eſt communis doctrina ex dicendis: Minor probatur; Eſto quis hæc omnia haberet, nondum haberet perfectum, & communem modum ſciendi: Ergò &c. Probatur Antecedens: ſi nullum ens rationis chimeri-

 cum

cum factum fuiſſet, imò ſi nèc Ariſtoteles, nec alij, terminos iſtos ſecundæ intentionis excogitaſſent, Logica artificialis dari poterat, licèt fortè non tam brevis; inſuper ſine vocibus Angeli ſunt probabiliùs Logici; Rurſus definitio, & diviſio ſunt quidem modi ſciendi in ſuo genere perfecti, at non ultimatè, ut enim quis per eos convincatur, debent ad Syllogiſticam formam reduci: Tandem licèt ſimplex cogitatio, & judicium poſſint dici objecta incompleta, ac etiam materiale totale, ſe ſolis non docent perfectè ſcire, ſed in quantum ſubſtant modis & figuris, ex quibus forma Syllogiſtica coâleſcit. Cùm tamen hodie ſit celebris opinio inter RR. quòd rectè cognitum, aut tres mentis operationes quatenus dirigibiles ſint objectum.

Probatur tertiò: Specialiter has non eſſe objectum Logicæ: vel intelligunt de tribus operationibus formalibus, vel objectivis, vel utróque modô ſumptis, quidquid dixerint impugnabo: Ergò &c. Probatur Minor; Primò, ſi dixerint, intelligi de objectivis, coincidimus; nam & ego & alij Scotiſtæ docemus, quòd Logica agat de termino, ac propoſitione, ſed non ultimatè, verùm in ordine ad faciendum Syllogiſmum; unde iſtas duas operationes vocamus objectum inchoâtum, & re-

ſpectu

ſpectu completi materiale, licèt etiam poſſint ſecundùm ſe formalia partialia dici: Deindè, nec poſſunt loqui RR. de operationibus formalibus, conſequenter nec de utróque modô ſumptis; Si enim verum eſt, Logica *nullô modô* agit de operationibus formaliter ſumptis, ſequitur quòd non agat de ijs ſimul ſumptis: intentum autem quòd *nullô modô* agat de formaliter conſideratis; ſic probo: nulla facultas agit de ſeipſa formaliter ſumpta, ſed tres mentis operationes formaliter ſumptæ ſunt ipſa Logica proportione ſervatâ: Ergò &c. Major fundatur in conditionibus mox ponendis; Minor conſtat, nam cognitio, quâ cognoſco quomodo Syllogiſmus debeat fieri, eſt Logica Docens actualis, confectio Utens, & pro majori, idem ne quit eſſe fundamentum, & terminus ejuſdem relationis, ſivè hæc ſit realis ſive rationis per accidens.

Reſpondent Diſtinguendo Minorem: cognitiones quatenus directivæ: C. quatenus dirigibiles N. Contra: hi termini *directiva*, & *dirigibilis* ſignificant idem, quod operatio activa, & paſſiva, dirigens directa, formalis objectiva, jam quæro, quônam modô ſubjectum dicantur? ſi paſſivè; verum dicunt: ſed ſolô nomine diſcrepant: *dixi* enim quòd tertia mentis operatio ob-

jectiva, paſſiva, directa ſit objectum; primum verò eſt ipſa Logica.

Reſpondent, eſſe ipſas mentis operationes quatenus dirigibiles paſſivè; ſed Negant has coincidere cum objectivè conſideratis, ſic enim accipiuntur pro rebus circa quas verſantur; at quà *dirigibiles*, ſignificat, in quantum Logica docet, quomodo poſſint eſſe erroneæ, & absque errore. Contra: tres mentis operationes hoc modo ſunt *finis externus, vel quo* intellectus in hac vel illa materia verum à falſo diſcernit: ſed finis externus nequit dici objectum: Ergò &c. Confirmatur: de ipſis non præſupponitur, *quòd, & quid ſint*; item, Logica ſubordinaretur animaſticæ de ijs per ſe agenti: Ergò &c.

Probatur quartò, & ultimò, quòd *Syllogiſmus quoad formam perfectus* ſit objectum. Habet conditiones ad objectum requiſitas: Ergò &c. Probatur Antecedens: ad hoc communiter tres petuntur; nempè ut ante ipſam facultatem præſupponatur, *quòd ſit, & quid ſit; ut paſſiones, & principia de ipſo demonſtrentur, vel ſaltem demonſtrandi modus doceatur: ut ad ipſum omnia per ſe tractari ſolita reducantur*, ſed iſtas habet: Ergò &c. Probatur Minor, per *quòd ſit*, uſu venit, ut tale ens non ſit omninò fictitium ſaltem quoad fundamentum eſſendi, uti de Syl-

lo-

logiſmo, & omni ſecunda intentione docui quæſt. præcedenti. Per *quid ſit*, intellige ut vel imperfecta ejus notitia habeatur ante talem facultatem inchoätam, vel perfecta ante eam habitualiter poſſeſſam, ſed utrúmque hìc accidit: Ergò &c. Primum quidem, eò quòd primi Philoſophi viderint hominem, jam verum jam falſum concludere lumine naturæ, proindè cogitaverunt; igitur debet eſſe aliquis modus poſſibilis, quo perfectè verum à falſo dignoſcitur: alterum patet, nam nemo eſt perfectus Logicus, priusquàm crebrò ruminaverit, quomodo debeat fieri Syllogiſmus: docet etiam demonſtrationem, & reflexè hac utitur in propria materia per Utentem actualem; tandem quis non videt terminos, propoſitiones, imò demonſtrationem velut ſpeciem ad Syllogiſmum cum cæteris reduci.

Reſpondent aliqui: Eſſe quidem objectum Logicæ Ariſtotelis: C. Logicæ in ſe N. Contra eſt, quod dixi, has eſſe extrinſecè tantùm diverſas, habent enim idem ſpecificativum primarium, infallibilitatem deducendi, aliàs illa Ariſtotelica vel altera nihil prodeſſet.

Obijcies I. Tres mentis operationes ſunt objectum Logicæ: Ergò &c. Probatur Antecedens; modi ſciendi, & Syllogiſmus

reducuntur ad eas: Ergò &c. Probatur Antecedens: media referuntur ad finem, ſed modi ſunt media, operationes quatenus dirigibiles ſunt finis, Ergò &c. Undè etiam Ethica, & alij habitus non reſpiciunt regulas objectivas: ſed id, ad quod ordinantur. Aliorum dictis omiſſis: Reſpondeo Negando Antecedens, probationem cum paritate, Diſtinguo: modi ſciendi reducuntur ad operationes intellectûs *in eſſe exercitio*, ac in ſcientijs utentibus C. in Logica Docente N. niſi etiam Ethicam Docentem admitteres.

Inſtabis: eſto Logica Docens ſit modus ſciendi, aliud non facit quàm dirigere operationes intellectûs: Ergò verſatur circa eas: Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: dirigit eas tanquam *finem quo* utitur in aliis materiis, quibus applicatur, C. tanquam *finem intrinſecum qui vel objectivum* N. Antecedens & Illatum.

Inſtabis: ſunt *finis qui*: Ergò, &c. Probatur Antecedens: Logica verſatur circa definitionem, judicium, &c. Reſpondeo hos Authores cum Scotiſtis convenire, ſi intelligant ita, ùt prima, & ſecunda operatio, ac modus ſciendi ſint objecta inchoäta, Syllogiſmus verò completum attributionis.

Inſtabis: Logica non agit tantùm de ijs objectivè, ſed etiam formaliter ſumptis, ſicut

cut Ethica de actibus humanis, & Theologia de viſione formali beatifica: Reſpondeo Negando Aſſumptum; diſparitas eſt, quia Logica Docens eſt purum inſtrumentum ſciendi, imò quando conſiderantur actus humani, vel viſio, induunt rationem objecti, ſicut cognitio directa reſpectu reflexæ, & ſic Logica Utens convincitur agere de formalibus actibus, adhuc tamen ultimatè de Syllogiſmo.

Inſtabis: ſunt & aliæ facultates inſtrumentariæ v. g. Medicina, & tamen non verſantur circa regulas; ſed operationes: Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: purè inſttumentariæ N. mixtæ tranſeat; Nego Conſequentiam: porrò ſi eſſet habitus medicus purè docens, etiam verſaretur circa regulas, vel modum medendi objectivum.

Obijcies II. Logica in ſe agit de omni modo ſciendi, ergò non de Solo Syllogiſmo. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: tanquam fine perfecto N. inchoäto. C. dixi enim priores eſſe objecta partialia.

Inſtabis, néque Syllogiſmus poteſt dici objectum completum, quia reducitur ad Demonſtrationem. Reſpondeo Negando Aſſumptum, cum probatione, dividitur quidem in Topicum, & Demonſtrativum; ſed hæ ſpecies ad ipſum referuntur.

Inſtabis: ſaltem reducitur ad argumentationem ut ſic: ſicut Demonſtratio, ad Syllogiſmum: Ergò non eſt completum ac ultimatum objectum. Reſpondeo Concedendo: quòd ad illam reducatur velut genus, cujus ſpecies plurimæ non concludunt perfectè v. g. Exemplum, &c. Diſtinguo autem conſequens, non eſt ultimum ſpecificativum. N. non ſpecificativum. C. imò & argumentatio rurſus ad orationem, vel operationem reducitur, Syllogiſmus autem ſpecificat velut modus perfectus.

Inſtabis: etiam Demonſtratio eſt modus perfectus: imò ſuperaddit perfectionem materialem: Ergò illa erit objectum. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: Sola N. cum aliis v. g. cum Topico. C. ſed Negatur Conſequentia.

Inſtabis: Sola demonſtratio eſt perfecta: Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: quoad materiam. C. formam N. Antecedens, & Conſequentiam.

Inſtabis: nec ſolus Syllogiſmus eſt quoad formam perfectus, ſed etiam definitio, enthymema, &c. Reſpondeo Negando Aſſumptum, illa quidem initiativè, ſed niſi fiat forma Syllogiſtica, ad quam referantur, neminem per ea convinces. Idem eſt de aliis argumentationibus.

Objicies III. Si Syllogiſmus eſſet objectum

ctum Logicæ, vel Docentis, vel Utentis: nihil videtur poſſe dici: Ergò,&c. Reſpondeo: hactenus dictum eſſe de Syllogiſmo formando, qui eſt finis Docentis, ſicut nec Utens eſt propriè Logica; ità nec in rigore objectum habet, poteſt tamen verſari circa illum, velut probam, confectum: de Logica Ariſtotelis & in ſe nihil teneo, vide Baronem Scotiſtam.

Inſtabis: vel ille Syllogiſmus, qui ponitur objectum, eſt quid rationis, vel ens reale; nihil dici poteſt: Ergò, &c. Minor Probatur; ſi primum; ens rationis erit objectum; ſi ſecundum; res realis: Ergò, &c. Reſpondeo, quòd formaliter Logica actualiter ſit realis, objectum ejus quoque licèt *hic & nunc* quatenus traditur per ſecundas intentiones videatur tantùm fundamentaliter reale; ad probationem dico hanc rem, quæ eſt Syllogiſmus, eſſe objectum, non omnem.

Inſtabis: Logica Ariſtotelis, eſt rationis: Ergò illa ſaltem non habet objectum reale; Probatur Antecedens: quia ille realem diviſit in Phyſicam, Methaphyſicam, & Mathematicam: Reſpondeo Negando Antecedens, niſi per accidens; ad probationem dico, ibi diviſiſſe realem tradi ſolitam ſub nominibus realibus, id eſt in Grammatica communiter receptis.

In-

Inſtabis: in Logica Ariſtotelis tranctantur Sophiſmata, Prædicamenta, &c. Sed hæc non ſpectant ad Syllogiſmum. Reſpondeo illa vel impropriè ad eum pertinere, vel ſaltem materialiter ad eum ſpectare.

QUÆSTIO II.

An Logica ſit Utilis.

DIco: Logica præſertim Docens eſt utilis Reipublicæ. Chriſtianæ, & in ſe honeſta. ita communiter Philoſophi contra nonnullos ex hæretica pravitate non tam ejus utilitatem ignorantes, quàm odiô habentes, eò quòd hæc facultas videatur tanquam ſpeciale Dei donum hominibus data, velut modus convincendi pertinaciam in errore; & utinam non eſſet contra multos pſeudo-politicos ex Catholicis, qui nihil niſi œconomicam, & fabulatoriam turpis lucri gratiâ ſuadent.

Probatur: plurimi viri ſancti hoc ſtudiô uſi ſunt, imò ſapientes methodô diſcernendi verum à falſo utuntur, à principio mundi ad hunc usq; diem, ſi non plenè artificiali, ſaltem naturali; ſicut autem donum Prophetiæ ethnicis datum cenſetur v. g. Sibillis (ùt aliquando per argumenta critica oſtendam contra Blondellum, Voſſium, Gallæum, Caſaubonum, Dupinum, Scripto-

Scriptores, Chriſtianos; cum Montacutio, & Lactantio lib. 7. divi. inſt. c. 18.) ità crediderim, hanc methodum non tam à primis Philoſophis acquiſitam; quàm deſuper datam fuiſſe. Confirmatur: Theologia hac methodô addiſcitur non ſinè fundamento ex Scriptura Sacra, uti in Prolog. 4. Sent. probo contra hæreticos; unde Eugenius Papa Academias Labentes reſuſcitare, & Varii Principes Stabilire verbö ac exemplô docuerunt: *Dixi notanter Logica Docens*: id eſt Dialectica, quia iſta Magna Logica, niſi quòd excitentur ingenia, ſi adeo fuſa eſt, parum ſubindè prodeſt. Confirmatur adhuc: Logica eſt modus ſciendi, ſed hic eſt utilis. Nec dicas eſſe modum ſciendi Sophiſmata, & Scholaſterias; non autem in ordine ad Statum Politicum, qui hodie magìs attenditur; deindè plus afferre œconomicam, &c. Contra eſt, quòd ait Caramuel, aliqui tractant Ethicam, & Politicam, qui Metaphyſicam ignorant, & non pauci, qui Logicam: & audacter affirmant, non requiri ad moralia realium ſcientiarum cognitionem, (Scholaſticus obſervet realium) ſed neſcio quòd prudentiale judicium: Ergò exorbitent quantum illi voluerint, ego veritatem tanto Studiô, & labore quæſitam, tantâ fœlicitate inventam propter andabatarum umbratiles opinationes non relinquo, hæc ille Re-

Reſponderunt: Caramuelem non habere judicium: ſed tu quis es? qui te ipſum & alios judicas? Reſpondes, ſum Statiſta, Ethicus, &c. Lego hiſtoricam, œconomiam tracto, &c. ecce novum illud Dictionarium gallicum, quòd conſcripſit Moreri, tibi placet; non vitupero, laudem meretur, inquit, ſi libri omnium combuſti eſſent, opera Caramuelis ſufficere ad reſtaurandam omnem facultatem, & tu inquis illum non habere judicium; Cætera textus habet. Hac ratione Auguſtinus, & alii vocant Logicam ſcientiam ſcientiarum, artem artium, organum Philoſophiæ, &c. ſed cum cavillantibus.

Obijcies I. Logica ſicut ſcientia inflat: Ergò non eſt utilis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens, abutentes. C. alios N. ſic etiam Phariſæis bona opera erant cauſa ruinæ.

Inſtabis: ad Coloſ. 2. habetur: *videte ne quis vos decipiat per inanem Philoſophiam*, & Greg. in c. 12. Job, præceteris fallaciam mundi ex hoc capite deducit; hinc multi abominantur Philoſophiam, imò dicunt multos propter eam damnatos eſſe. Reſpondeo, hæc ſano ſenſu capienda eſſe, non abominantur eam in ſe, ſed in Studentibus malô fine, vel abutentibus; dum enim putant ſe reliquis doctiores, ſuperbire incipiunt, & in errores cadunt. In-

Inſtábis: Omnia vanitas præter amare Deum, & illi ſoli ſervire: Ergò Logica præſertim viro religioſo, qui toti mundo valedixit, nihil utilis eſt, ſed præſtaret, ſi ille locô Studii meditationibus indulgeret; undè S. Franciſcus Seraphicus juſſit ut Fratres ſui neſcientes litteras, non addiſcerent litteras: *vide regulam*; & quidam in ſpiritu vidit diabolum exultantem, eò quòd audierat Seraphici Patris Commilitones incipere Philoſophiæ ſtudere, ad promotiones aſpirare; & prô! ſæpiſſimè malus eventus comprobatus eſt. Hoc eſt Emplaſtrum idiotarum. Reſpondeo: verum quidem eſſe, quòd ſubindè ſummi abuſus indè oriantur præſertim ubi ſunt multi nominales, ſed hoc non obeſt intentioni communi, undè dico, ſtudium hoc eſſe quóque cauſam amoris Dei, præſertim ſi Religioſus talis, cui S. Mater Eccleſia mandavit ſtudere, uti toti Religioni, & quidẽ utilior eſt obedientia in tanta rerum viciſſitudine, quàm victima devotionis privatæ, quo fine Eccleſia textum regulæ S. P. Franciſci propter tempora, & ingruentes hæreſes immutavit, adeò ut ij, qui vovent, ad litteram, ſtudijs incumbant, ſubjecit enim ſe, & ſuos Eccleſiæ: Addo quòd non omnes monachi habeant gratiam continuò orandi vel meditandi; O! ſi ſtudium ceſſaret, vel ne-

negatio otij! quot inſignes culturæ ſequerentur: *jamfactis credit Appollo.*

Obijcies II. Logica eſt modus altercandi, ut patet quotidianó exercitió ſcholaſticorum, qui plerúmque in altercationes deveniunt, & vix aut nunquam ad rei veritatem pertingunt, nam quilibet ſuam ſententiam, etiam convictus, vult, pertinaciter ſe oſtentando, defendere.

Reſpondeo candidè: Hoc quidem defacto ſæpiſſimè fieri, & ingentes ſimiles abuſus eſſe, non nego; Senſati tamen, & modô diſputandi præſcriptô in dialectica Utentes, nequaquam abutuntur, ſed ingenia acuunt, & ſe expeditos faciunt, ut ſi opus fuerit in Eccleſia Dei criminatores redarguere poſſint; quod Apoſtolus ad virum Doctorem Epiſcopum pertinere conjurat. Varijs alijs effectibus honeſtiſſimis ſuperſedeo, hoc jungo pro ſolatio multorum adagium, *ubi floret ſtudium, viget religio.*

QUÆSTIO III.

An Logica ſit Neceſſaria?

DIco: Logica ſimpliciter eſt neceſſaria ad aliàs ſcientias, etiam partiales, perfectè acquirendas. Ita permiſcuè docetur in omni Schola contra juniores, præſertim Scotiſtas, qui indies plus & plus neceſſitatem Logicæ minuunt, & dicunt eam eſſe

tan-

tantûm moraliter, id eſt ad expeditiùs habendas alias ſcientias, neceſſariam: loquor de Docente, nam magnam illam, nullô modô requiri, aſſevero.

Probatur primò: nulla ſcientia etiam partialis concluſio deducta ex principiis evidentibus perfectè poſſideri poteſt absq; modo ſciendi, ſed Logica eſt communis ſciendi modus: Ergò, &c. Probatur Major, absque illo enim dubitatur ſemper. Reſpondent; absq; Logica vel Naturali vel Artificiali. C. neceſſariò, & ſemper Artificiali. N. Contra: absq; Artificiali nequit perfectè poſſideri: Ergò, &c. Antecedens Probatur: præterquam quòd talis ex naturæ lumine benè inferens v. g. *totum eſt majus parte, ergò corpus capite*, poſſet traduci à perito Sophiſta, & in actu exercito bonam illationem faceret, non diceretur perfectè ſciens, ergò nec haberet perfectè ſcientiam; quia denominatio provenit à forma perpetuò.

Reſpondent: Quòd talis adhuc perfectè ſciens diceretur. Contra: perfectè ſcire eſt inniti principijs infallibilibus, ſed his inniti eſt hahere Logicam Artificialem, ergo absque ea perfectè non ſciret.

Reſpondent: Absque Logica Artificiali non poſſe haberi ullam concluſionem ſcien-

ſcientificam perfectè, ſi talis concluſio eſt remota à primis principijs naturalibus: C. ſi illis eſt proxima: N. Contra: nec proxima illis ſinè Logica haberi poteſt: Sic arguo, vel talis ſcit infallibilitatem conſequentiæ, vel nòn? Si ſecundum, non dicitur perfectè ſcire, ſi primum, præter prima principia habet vel infuſam vel comparatam Logicam. Confirmatur: aliud non intelligo per Logicam quam cognitionem vel habitum innitentem principijs infallibilibus, & ex ijs aliud ſic inferentem.

Reſpondent cum P. Raymundo Orths, Diſtinguendo Conſequens: non poteſt haberi abſque Logica Artificiali præceptiva: C. ſcientifica: N. Contra eſt: quòd ſola præceptiva ſit propriè dicta Logica, unde coincideret ille.

Probatur ſecundò: Quòd nunquam factum fuit in moralibus cenſetur impoſſibile, ſed, ergò. Nec dicas: inferri neceſſitatem moralem. Contra: eo ipſò quòd ſciret concluſionem illam bene deduci, eſſet Dialecticus. Si dicas: Saltem poſſe habere exercitè ſcientiam ſinè Logica, hoc gratìs admitto, ſed non debet dici ſciens propriè. Confirmatur: ad quid aliàs omnis intendens ſcientiam acquirere, ordinariè audiret dialecticam? Nec valet: etiam Logicam Magnam, ſcientem enim dialecticam

ſticam bene volo docere Theologiam, æquè ac Logicam illam.

Obijcies I. Fuerunt varij ſcientifici perfecti abſque Logica Artificiali, Thales Phyſicus, Hippocrates Medicus, & nuper idem dicebatur de famoſo Pragenſi Profeſſore Schambogen Juriſta: Ergò non eſt ſimpliciter neceſſaria. Reſpondeo: illos ſi verè non ſtuduerint Dialecticæ, fuiſſe perfectos in actu exercito: C. ſignato N.

Inſtabis: Illi fuerunt primarij Profeſſores, ergò ſciverunt quid, & quomodo docuerint ſignatè periti. Reſpondeo Breviter fuiſſe ſcientificos abſque Logica acquiſita, tranſeat, infusa: N. nec hoc eſt divinare, quia certum eſt, quòd multi ratione bonæ indolis divinitùs conceſſæ, etiam abſque levi ſtudio multa ſciant. Deinde licèt tales ab initio cum tali ordine non ſtuduerint, v. g. apud Patres; tamen principijs deducendi incumbunt, aliàs ſignatè erunt imperfecti, quid enim ſi tali negares conſequentiam.

Obijcies II. Logica Artificialis fuit acquiſita cum ſola naturali, ergò poſſunt etiam aliæ ſcientiæ quæ ſunt minùs difficiles ipsâ Logicâ. Reſpondetur Diſtinguendo Antecedens: Artificialis inchoäta: C. completa N.

Inſtabis: ſicut termini juveruut ad facien-

ciendam propoſitionem, hæc ad modos ſciendi &c. Ità cum Logica Naturali alia ſcientia incompletè acquiri poſſet, & hæc juvaret ultrò, donec perfectè poſſideretur, ergò à pari.' Reſpondeo Negando Conſequentiam; quia ipſa tota eſt modus ſciendi, unde initiativi modi conducebant ad perfectum.

Inſtabis: Logica Utens, Ethica Docens, Phyſica Speculativa, & ſimiles poſſent ſinè illa acquiri. Reſpondeo Negando Aſſumptum, Dialectica ſola eſt modus ſciendi, & Communis ſciendi modus, niſi Utenti miſceres illa quæ ad Docentem ſpectant, ut frequenter contingit.

Inſtabis: ſaltem ad facultates practicas non erit neceſſaria. Reſpondeo ſi illæ non ſunt ſcientificæ: C. v. g. ad chirurgicam, ſi verò utantur modô deducendi ex præmiſſis infallibiliter concluſionem N.

Obijcies III. Logica Artificialis eſt habitus; Ergò non eſt ſimpliciter neceſſaria; quia habitus definitur facilitas: Adeóque datur tantùm ad faciliùs poſſe. Reſpondeo primò: Concluſio poſſet intelligi de actuali; Meliùs ſecundò, habitus naturales eſſe tantùm facilitates; Artificiales verò, & ſupernaturales ſimpliciter neceſſarios. Et obtundo Thomiſtis: Lumen gloriæ ſecundùm ipſos per modum habitûs abſolu-

tè

tè neceſſarium. Reſpondeo tertiò. Diſtinguendo Conſequens: Ergò non eſt ſimpliciter neceſſaria ſicut potentia: C. ſicut adjutorium ſinè quo nihil perfecti N. conſequentiam.

Obijcies IV. Si quis haberet Profeſſorem valdè expertum, v. g. in Jure vel Medicina; talis poteſt perfectè inſtrui in partialibus, imò, & totalibus, eſtò nihil haberet de artificio Logicæ, ergò nequidem moraliter eſt neceſſaria. Ita ferè Poncius; Probat Antecedens: Talis Profeſſor poſſet ipſi hæc ita evidenter oſtendere, ut omnino non dubitaret; nam, & poſſet ipſum inſtruere, quòd evidentia illationis conſiſteret in principijs naturalibus: *dictum de omni, de nullo*: Ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens: ad probationem dico, talem diſcipulum exercitè quidem hìc, & nunc illa retinere, poſſe quoque propter talem ſemilogicam ſemi ſcientificum dici; ſed eô ipſô quòd evidentiam illationis benè penetraret, eſſet Logicus. Hæc ad Laudem Dei Unius, & Trini, Nominis JESU, & Immac. Conceptionis exaltationem, & omnium Sanctorum Honorem conſcripſi, licèt Utentem docui eſſe impropriam Logicam, tamen me ſæculi moribus conformabo, & exercitio ponam, cum adhuc ſuperſint partiales Docentes, in Nomine Domini.

TRACTATUS I.

In Iſagogen Porphyrianam.

ARiſtoteles Philoſophiam potiſſimùm in ordinem redegit: Quò ſibi æternum nomen Philoſophorum Principis comparavit; inter alia ſcripſit Organum decem Categoriarum, quod Mètaphyſicæ partem ponemus; hìc verò ob difficultatem in illo Organo repertam, à quodam inſigni Philoſopho nomine Porphyrio factam, introductionem pro completiva notitia terminorum tractabimus; Porrò ab Authore ſuo hæc manuductio, id eſt Iſagoge, vocatur Porphyriana: in qua ſit

DISPUTATIO I.

De Univerſalibus in communi.

AGitur hìc de terminis univerſalibus, ut ſinguli comprehendantur; atque ità facilis fiat proba doctrinæ circa Propoſitiones, ac ultimatè formam Syllogiſticam: Supponuntur autem de Diſtinctione Formali in Metaphyſica dicenda.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An? & quid ſit Univerſale?

DIco: Quòd detur univerſale id eſt natura in multis. Ita commuuiter Philoſophi, contra Veteres omnem ſcientiam negantes; ac contra Nominales: (quorum Princeps fuit Ocham Ordinis Minorum Conventualium, Diſcipulus Scoti) qui ſolas voces univerſalium ponebant: re tamen benè viſâ, moderni Philoſophi plerúmque Veteribus ac Nominalibus potiùs ſubſcribunt, quàm quòd defendant genuinè univerſales naturas, ùt colliges ex Quæſtione tertia, & Diſp. de ſcientia, tractatu ſequenti; interim pro intelligentia hujus materiæ.

Sciendum eſt, quòd Univerſale aliud ſit *complexum*, & eſt Propoſitio quædam, ex qua plures ſequuntur, v. g. *Hæc: peccatum eſt malum*; ex qua ſequitur ira eſt mala, acedia eſt mala; invidia &c. De hoc hìc non agitur; Sed de alio, quod dicitur *incomplexum*, & eſt nomen, dicens ordinem ad plura, quod cùm varijs modis fiat; hinc univerſale incomplexum aliud eſt in *ſignificando*, id eſt quando unus terminus plura ſignificat, v.g. Gallus: Animal rationale, & irrationale; Aliud *in cauſando*, id eſt res quæ omnia, vel multa ſaltem poteſt cauſa-

re, v. g. Deus, Sol &c. Tertium in *repræſentando*; id eſt, in quo plura videntur, v. g. in ſpeculo, aqua lympida &c. Et hæc licèt ſint univerſalia incomplexa, ſunt tamen impropria; Proinde nec de ijs multùm agemus: Quartum autem, & proprium eſt univerſale in *eſſendo*; hoc eſt natura quædam, quæ eſt, vel poteſt eſſe in multis inferioribus, v. g. Natura humana in Petro, Paulo &c. Iſtud rurſus dividitur in Logicum (quod etiam appellant actuale) & Metaphyſicum (quod vocant fundamentale, remotum &c.) utrúmque poteſt dici in prædicando, vel eſſendo ex dicendis. Nunc

Probatur concluſio quoad utrámque partem, ſcilicet quòd detur univerſale propriè dictum, vel in eſſendo; & quòd benè definiatur *natura in multis*, intellige: *cum ſui multiplicatione, vel diviſione*; hoc eſt, quòd illa inferiora in quibus illa natura eſt, ſecundùm eandem ſint plura, v. g. Petrus, Paulus, Joannes, ſunt tres homines, unde excipitur natura Divina; quæ licèt ſit in Patre, Filio, & Spiritu Sancto; non eſt tamen cum ſui diviſione, quia non poſſum dicere, Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt tres Dii; Probatur inquam: per univerſale intelligitur natura in multis (hæc enim definitio habet omnes conditiones ùt per decur-

curſum patebit) ſed talis natura datur: Ergò, &c. Probatur Minor. natura humana eſt, vel poteſt eſſe in Petro, Paulo, &c. natura bovina in bove A. B. C. & ſic de aliis: Ergò, &c.

Reſpondent Nominales: Diſtinguendo Minorem, cum probatione; quoad nomen. C. quoad rem. N. Contra: Petrus & Paulus non tantùm conveniunt in nomine quòd ſint homines, ſed etiam habent eandem naturam humanam: Ergò, &c. Credo tamen, quòd invictus Occam aliud non voluerit, quàm quòd à parte rei actualiter non ſit eadem natura in individuis, & hoc idem Thomiſtæ ac RR. docent; imò illi omninò huic opinioni ſubſcribunt, licèt enim dicant dari univerſale fundamentale à parte rei, hoc tamen fundamentum juxta ipſos eſt ſingulare: Ergò præter vocem vix aliud admittunt: hic tamen præſcindo an tale univerſale ſit in ſingularibus vel extra ea, an in ſingularibus ſit actuale, vel fundamentale, de quibus proximis quæſtionibus dicam.

Obijcies: unum nequit eſſe in multis: Ergò non datur univerſale. Antecedens patet de corpore: Reſpondeo Negando Antecedens; ad probationem dico; non debere capi in multis locis, licèt enim hoc

ſieret ſupernaturaliter, non eſſet univerſale; ſed natura in multis inferioribus.

Inſtabis: unum & multa repugnant: Ergò nec una natura poteſt eſſe in multis inferioribus. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: unum indiviſum, & multa repugnant. C. unum diviſum in multis repugnat. N. Antecedens, & Conſequentiam.

Inſtabis: quod eſt diviſum, non eſt ampliùs unum, ſicut ſi quis menſam ſecaret in duas partes: Ergò ſi talis natura ſit diviſa, non erit una in multis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens, non eſt ampliùs unum, unitate formali, quam alii vocant ſimilitudinariam, cum tamen revera debeat plus importare. N. unitate numerica. C. ſed Nego Illatum: hoc ſignificat naturam talem intrinſecè eſſe eandem, ſed per diverſas differentias individuales, vel alias contractam.

QUÆSTIO II.

Quot ſint Univerſalia?

DIco: congruè recenſentur quinque univerſalia; ſcilicet Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens. ita communior tenet proportionaliter de Logico ac Methaphyſico, duntaxat ſint naturæ reponibiles in prædicamentis. Dixi enim hunc-

hunc tractatum eſſe introductionem ad prædicamenta; hinc excluduntur individua, vaga, æquivoca, analoga, & fortè tranſcendentia, &c. Probatur Concluſio: tot ſunt univerſalia, quot modi, quibus natura poteſt eſſe in multis, ſed tales modi ſunt quinq;: Ergò, &c. Probatur & declaratur Minor; omnis enim natura vel eſt eſſentialiter, vel accidentaliter in inferioribus: Ergò ſunt quinq; modi. Probatur Conſequentia; ſi primum; vel eſt ùt tota eſſentia, & eſt *Species*, vel ùt pars eſſentiæ contrahibilis; & eſt *Genus*, vel ùt pars eſſentiæ contrahens, & eſt *Differentia*; ſi verò accidentaliter; vel eſt inſeparabiliter, & eſt *Proprium*, vel ſeparabiliter, & dicitur *Accidens*: Ergò, &c. Exempla ſunt: animal rationale, animal, rationale, riſibile, album. Dixi notanter *congruè recenſentur*, quia niſi claritatis causâ fieret, deberet diviſio eſſe bimèmbris, ſcilicet in univerſale eſſentiale, & accidentale. Confirmatur: quinque modis natura poteſt prædicari de inferioribus: Ergò, &c.

Obiicies I. ſunt multæ naturæ communes ſcilicet Divina, humana, & ſimiles: Ergò non tantùm quinque. Reſpondeo non eſſe idem *communis* natura, & *Univerſalis*, primum Divinæ convenit; non ſecundum, exdictis, eſt quidem omne univerſale commune, ſed nonècontra. In-

Inſtabis: ſunt etiam plurimæ naturæ univerſales v. g. humana natura, bovina, equina, leonina, angelica, lapides, aquæ, &c. Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens; has eſſe multas entitativè. C. in ratione univerſalis. N. hoc eſt, illæ omnes vel ſunt genus, vel aliud ex his quinq;.

Inſtabis: ſunt plures in ratione univerſalis: Ergò, &c. Probatur Antecedens: ſunt plura ſingularia: Ergò, & univerſalia; Probatur Conſequentia ex Ariſt. q. 1. Top. c. 2. dicente: tot modis dicitur unum oppoſitorum, quot & aliud: Ergò, &c. Reſpondent multi extra formam, Ariſtotelem ibi loqui de oppoſitis unitate, ac multitudine; identitate, ac diſtinctione; ſed faciliùs Reſpondeo: nec eſſe plura ſingularia quàm quinq;, intellige in ratione ſingularitatis, id eſt quatenus ſubiiciuntur univerſalibus, licèt entitativè ſint plurima.

Inſtabis: entitativè ſunt plura ſingularia, & univerſalia: Ergò etiam ſub ratione prædicabilitatis, ac ſubjectionis, conſequenter ſub ratione univerſalis. Probatur Conſequentia: modus prædicandi, ſequitur modum eſſendi: Ergò ſi ſunt plura entitativè, &c. Reſpondeo Negando Conſequentiam, probationis Antecedens Diſtinguo; ſequitur modum eſſendi in aliis. C. in ſe, N. Antecedens, & Conſequentiam:

ita

ita dic ſi arguant eſſe decem prædicamenta: Ergò & univerſalia.

Inſtabis: ſunt plures modi eſſendi in ſe: Ergò & in aliis, quia eſſe in ſe præcedit eſſe in alio. Reſpondeo Negando Conſequentiam, nihil enim obſtat quòd duæ naturæ diſtinctæ eôdem modô ſint in ſuis inferioribus, v. g. ſicut natura humana eſt in tribus hominibus. ita cæteris imparibus bovina eſt in tribus bobus: imò ſic etiam genus generaliſſimum, & ſubalternum, &c. conveniunt, licèt terminativè ac extrinſecè differant.

Inſtabis: albedo poteſt prædicari de hoc albo, & homine albo, ſed nullo ex quinq; modis: Ergò ſunt plures modi eſſendi in aliis, ita Hermann. Reſpondeo Negando Minorem, ac ejus ſuppoſitum, quòd hæc ſit prædicatio eſſentialis: *hoc album eſt album*; albedo quidem dicitur eſſentialiter de albedine A. B. C. ſed non de pariete, qui eſt hoc album.

Inſtabis; hoc album quà tale eſt eſſentialiter album: Ergò ſi addas & *homo eſt albus*: prædicabitur albedo diverſò modô ab illis quinq; Reſpondeo tranſeundo Antecedens: quia hoc album ſignificat plus, quàm album; & albedo nequit dici alba niſi ùt quò; Nego Conſequentiam, non enim fit eodem genere prædicationis hæc luſio.

In-

Inſtabis: individuum vagum poteſt quoque poni univerſale: Ergò ſaltèm ſex erunt. Reſpondeo Negando Antecedens: quia illi nequit præponi ſignum univerſale; malè enim ſonat: *omnis quidam homo*; hinc nec natura humana Chriſti facit diſtinctú univerſale: definitio, diviſio, ſunt univerſalia complexa, de quibus hìc non eſt ſermo.

Obiicies II. quòd ſint pauciora: omnis diviſio debet eſſe binembris: Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: vel ſaltem ad bimembrem reducibilis. C. abſolutè. N. Si petas cur hæc non? dixi claritatis causâ exaggeratam eſſe.

Inſtabis: licèt poſſet ſic reduci, nec eſt generis in Species, nec alia: Ergò reprobanda. Reſpondeo quòd ſit generis in ſpecies mediatas; ſi verò fiat bimembris in immediatas; quomodo autem genus generis detur, adhuc ſequetur.

Obiicies III. tot ſunt univerſalia vel prædicabilia quot prædicata, cùm videantur eſſe Synonima, ſed ſecundùm Ariſtotelem ſunt tantùm quatuor prædicata, nempe: definitio, proprium, accidens, & genus. Reſpondeo Negando Majorem: quia termini non prædicamentales poſſunt eſſe prædicata, licèt ergò omne prædicabile ſit prædicatum, non ècontra.

Obiicies IV. Species eſt terminus complexus:

plexus: Ergò nequit eſſe univerſale: aliàs & definitio quadraret. Reſpondeo, Negando Conſequentiam; aliud enim eſt eſſe terminum complexum, aliud propoſitionem complexam, ſecundum nequit pertinere ad tractatum de terminis.

Inſtabis: ſpecies prædicatur per modum contrahibilis: Ergo non Diſtinguitur à genere. Probatur Antecedens: contrahitur enim per Differentias individuales. Reſpondeo Negando Antecedens; probationem aliqui ſic diſtinguunt, ab intrinſeco. N. ab extrinſeco. C. deinde ſub hac ratione, quâ ſic contrahitur non eſt univerſale, ſed quatenus eſt completa rei eſſentia.

Obiicies V. ſi ideo diviſio eſt facta in quinq; membra, ùt eſſet clarior, debebat admitti differentia generica, & ſpecifica: Ergò in plura membra dividi debuiſſet. Reſpondeo hoc totum potuiſſe fieri, imò ſic ſubdividi; ſed generatim loquendo, néque plus néque minus, cum virtus in medio ſubſiſtat.

QUÆSTIO III.

An dentur Univerſalia extra ſingularia vel Ideæ?

DIco: dantur univerſalia extra ſingularia à parte rei: quæ vocantur Ideæ Platonicæ. Ita inquirendæ veritatis exercitiô:

citiô ; Contra Ariſtotelem ac Philoſophos alios omnes, quos vidi vel ex alijs extitiſſe collegi : Porrò hæc Concluſio vocatur fatua ; monſtroſa ; & alij tales Ideas vocant phaleras, cantilenas, verbô formalem ſtultitiam ſuperlativè, & ſic remunerare conſueverunt Platonem Divinum, Philoſophum eruditiſſimum, Ariſtotelis Profeſſorem, de quo S. Auguſtinus inquit: ſe maluiſſe cum Platone mori, quàm cum Ariſtotele vivere. Vide Lalemandetum ; Sed moneo ut legens iſta non terreatur ab adverſariorum dicterijs, tradam enim fidei, & rationi conſona, imò auſim dicere, ex principijs Scoti colligi ; licèt prævideam millenas cenſuras.

Suppono autem primò : Contra Ariſtotelem quòd mundus non fuerit ab æterno, ſed in tempore à Deo creatus, adeóque nullam creaturam Phyſicam ab æterno extitiſſe, ubi per creaturam Phyſicam intelligo, quidquid eſt cum univerſo mundo productum, ſive creatione, ſive generatione, v. g. terra, ignis, aqua, aër, homines, Angeli, bruta, arbores, fructus &c. quibus oppono entitates Metaphyſicas, quas in Schola Scoti vocamus formalitates, quæ ſunt à parte rei (ſaltem in ſingularibus) & diſtinguuntur à parte rei inter ſe, & à potiori à creaturis Phyſicis, ex di-

cendis

cendis in Metaphyſica. Et ſi quæras, an ſint creaturæ? Reſpondeo nunquam debere ſolitariè dici creaturas, tum nè offendat hæc opinio; tum quia nomen creaturæ eſt impoſitum ad ſignificanda entia Phyſica, id eſt generationis vel creationis capacia; abuſivè autem poſſe dici creaturas metaphyſicas, ſicut homo pictus; licèt enim ille non ſit verè homo, tamen datur à parte rei; ita illæ Ideæ licèt non ſint verè creaturæ, tamen dantur à parte rei; homo pictus Phyſicè, illæ Metaphyſicè.

Suppono ſecundò: Ex principijs Theologicis Scoti, quòd Deus ab æterno ſtatuerit creaturas phyſicas in tempore producere; & quòd illæ creaturæ præſertim contingentes, per hanc volitionem DEI acceperint aliquod eſſe diminutum; quòd alij vocant poſſibilitatem paſſivam: Et hoc eſſe diminutum objectum eſſe à parte rei diſtinctum ab ipſo DEO; Nec eſſe ens rationis, nec ens phyſicum actuale; & ſi dicas: ſuppoſitum hoc eſſe falſum: Suppono ſaltem hanc Sententiam non eſſe contra fidem, cùm eam multi Scotiſtæ doceant, ùt obvium eſt; ex quo deducam nec Ideas Platonicas fidei repugnare; nam illa poſſibilitas paſſiva quoque non eſt creatura, vel ens Phyſicum, ſicut de facto

ſ ctus poſſibilitas Antichriſti, non eſt ens actuale phyſicum; neque tamen eſt ens rationis; licèt enim nullus cogitaret, vel cogitâſſet, revera Antichriſtus poſſibilis eſſet; neque in tali ente eſt ulla implicantia, ſunt enim multa poſſibilia, quæ non ſunt actu Phyſicè.

Suppono tertiò: Multos SS. PP. Theologos ac Philoſophos excuſare Platonem, quòd non poſuerit tales Ideas; alios èconttra quòd poſuerit, & quidem rationalibiùs; ſunt tamen omnes conciliandi, neque enim Plato, neque ego per Ideas, vel univerſalia extra ſingularia intelligo individuum aliquod, v.g. hominem qui nec ſit Petrus, nec Paulus, nec alius, neque bovem, neque aſinum ſimilem alicubi ſpatiantem, ùt tales Philoſophi cum veritate ſpatiantes, P. Herman, & alij, rudibus perſuadent; Sed naturam humanam, vel rationalitatem, & animalitatem dari extra intellectum ab æterno doceo; & has Ideas fateor quidem objectivè eſſe in mente Divina; Sed dico eſſe realiter diſtinctas ab ipſo DEO, eſſe entia Metaphyſica à parte rei, eſſe æterna, ità ut illis nulla prædicata phyſicis rebus propriè competentia, v. g. ambulare, ſedere, generari, corrumpi &c. conveniant. His prælibatis

Probo Concluſionem, primò ad hominem;

nem; Ariſtoteles docuit mundum eſſe ab æterno, ergò imprimis ſumma difficultas, quam Chriſtianus facit, ſcilicèt quòd ſequatur creaturas fuiſſe ab æterno; non ſtringit purum Philoſophum; hanc autem eſſe ſummam difficultatem patebit:

Probo ſecundò: Nihil fidei orthodoxæ vel contrarium ſequitur, ergò &c. Probatur Antecedens: Quoad primam partem; nullam enim creaturam pono ab æterno; ſed tantùm Metaphyſicas rerum eſſentias, quas æternas vocat omnis ſapiens. Nec dicas in mente Divina: C. velut diſtinctas à parte rei ab ipſo DEO: N. Contra: Gratis do, quòd DEUS illas ideas ab æterno cognoſcat; ſed non ſunt ipſe conceptus formalis DEI, verùm objectivi conceptus diſtincti à parte rei; ab æterno enim verum fuit; *Natura bovina non eſt natura humana.* Nec dicas quia DEUS cognovit hoc. Contra: in illo priori quo DEUS cognovit ſeipſum, ut Theologi docent, hoc verum fuit, ergò independenter ab omni divina potentia; diſtingui autem à parte rei ſupponit eſſe à parte rei (nota ex dicendis, à parte rei non ſignificare idem quod realiter, eſt enim genus ad realiter, & formaliter) ergò cum illæ naturæ ſic ab æterno diſtinguebantur; exiſtebant quo-

que non ùt ſingularia Phyſicô modô, ſed velut conceptus objectivi.

Confirmatur: Admittere ab æterno entia diminuta non eſt contra fidem, ergò neque tueri tales conceptus diſtinctos: hoc totum declarat pulchrè S. Auguſtinus lib. 83. q. 46. dicens: *In divina mente ſunt omnium rerum creandarum creatarúmve rationes, neque in divina mente quidquam niſi æternum, & incommutabile eſſe poteſt, atque has rerum rationes principales appellat Ideas Plato, quarum participatione fit, ut quidquid eſt, ſit quomòdo eſt*, ubi vides quod S. Pater quoque has ideas admittat; alij dicunt ab his Ideis Platonem Divinum dictum.

Reſpondent: hoc eſſe facile, cum omnes Theologi, ſic loquantur Ideas eſſe in mente Divina. Contra: Non tantùm ſunt in mente Divina, ſed à parte rei realiter ſunt diſtinctæ inter ſe, & ab ipſo DEO; in illo enim priori quo ſcientia DEI ad ipſas terminatur; imò ſi per impoſſibile eas non cognoſceret, adhuc verum fuiſſet ab æterno: *Natura humana non eſt bovina*, ergo illæ naturæ habuerunt aliquod eſſe à parte rei; non reale Phyſicum, quale creaturis convenit, ſed eſſe æternum eſſentiarum metaphyſicarum.

Reſpondent: DEUM eſſe omnem naturam eminenter, & humanam, & bovinam.

nam. Contra : hoc libenter concedo : at nihil obſtat ; Significat enim naturam Dei omnibus infinitò modò eſſe perfectiorem ; cum hoc tamen ſtat naturam humanam non eſſe bovinam.

Reſpondent : Per operationem intellectûs : C. à parte rei : N. & negant ſuppoſitum naturas illas fuiſſe extra Deum , Contra non ideò verum eſt : *Natura humana non eſt bovina* : quia intellectus hoc cogitat ; Sed ècontra ; Ergò independenter ab omni intellectu ; neque ſuppono , ſed probo illas naturas habuiſſe eſſe objectivum metaphyſicum, ſicut vel à potiori de ente diminuto. Nunc

Probo tertiò ratione Philoſophicâ : datur extra ſingularia à parte rei genus, & differentia, Ergò univerſalia. Probatur Antecedens, animalitas eſt genus ; rationalitas eſt differentia ; ſed datur extra ſingularia animalitas, & rationalitas, ergò &c. Probo Minorem ; animalitas fuit ab æterno , ergò extra ſingularia ; quia illa non fuerunt ab æterno ùt Chriſtiani Phyſici docent.

Reſpondebunt : animal abſtractum per intellectum eſt genus. C. à parte rei. N. Contra eſt Scoti doctrina proximè dictanda.

Reſpondent ; illum admittere univer-

ſale à parte rei in ſingularibus, non extra: Hoc ſcio, ſed hìc defendo fuiſſe quando non erant ſingularia, ergò extra illa.

Reſpondent: Fuiſſe ab æterno juxta noſtrum concipiendi modum, & in mente Divina: C. à parte rei: N. Contra: fuerunt à parte rei modô exiſtendi metaphyſicô, id eſt objectivè, ſic ut animalitas non eſſet rationalitas ſinè omni opere intellectûs, ergò &c. Probatur Antecedens: Si fuiſſet ab æterno Angelus: (ùt fieri potuiſſe ex dicendis ſuppono) poterat cogitare *animalitas non eſt rationalitas*, ſed hæc propoſitio mentalis fuiſſet de prædicatis actu exiſtentibus ſinè opere intellectûs, ergò ab æterno fuerunt illa prædicata ſinè opere intellectûs. Probatur Minor: non ideo fuiſſet verum, quia Angelus cogitâſſet, ſed ècontrà, ergò &c.

Confirmatur: de naturis univerſalibus, ac eſſentijs rerum poſſunt fieri propoſitiones æternæ veritatis, ſed illæ propoſitiones non ſunt de ente ficto, nec Phyſico ſingulari, ergò de ente Metaphyſico univerſali, quod habet eſſe medium, vel tertium ſtatum actualem.

Declaratur adhuc, illæ naturæ non petunt locum, nec motum, nec alia Phyſica, ùt aliqui mediocres, vel nulli in Metaphyſica ſolent effutire, licèt enim defacto anima-

malitas ſit in homine, illa nec ſtat, nec jacet, quæ ſunt prædicata Phyſica, ergò &c. Tandem aliàs nulla ſcientia realis daretur, utì Diſputatione de ſcientia oſtendam, nec eſt ulla implicantia in Ideis, ergò &c.

Obijcies I. ad hominem; Ariſtoteles Philoſophorum Princeps, Scotus ſubtilis, Doctor Angelicus, mundus totus, tot & tanta ingenia has Ideas exploſerunt, ergò hæc eſt mera oſtentatio, & ſimilia, imò SS. Patres illud Platonicum reijciunt, lege D. Bernardum Serm. 1. de Epipha. Reſpondeo multos ex ijs hanc Sententiam rejeciſſe, eò quòd videantur profeſſionem facere, omninò recipere doctrinam Ariſtotelis: Ita præſertim primi duces ex conſuetudine vim legis habente negaverunt Ideas, alios potiùs ſupponere non dari quàm probare, ùt videre eſt apud authores, alios ijs obiter immorari, lege manuſcripta Profeſſorum, alios plurimos eas non intellexiſſe putantes eſſe entia Phyſica, & illas naturas debuiſſe habere locum, quod unus ex altero ſcribit, *variant ſtylum, & componunt librum*; Lege viventem P. Hermann qui dicit Platonem admiſiſſe bovem ùt ſic in amœniſſimo loco ſpatiantem, fortè in præſepi Domini bovem, & alia animalia putavit; Ariſtoteli oppono Platonem; deinde ille defendit mundum ab æterno, materiam pri-

 mam,

mam, & Cardinalis du Perron dicit illum tot errores, quot verba in Phyſica ſua ferè poſuiſſe; tandem ego inquirendæ veritatis causâ plus cæteris coætaneis hanc, & ſimiles materias tracto; unde cùm hæc objectio alibi quoque poterit fieri, videatur, & reſponſio.

Obijcies II. Illæ Ideæ ſeparatæ à ſingularibus eſſent ſingulares, ergò non univerſales. Probatur Antecedens: Per ſe exiſterent, ergò eſſent ſingulares. Reſpondeo Negando primum Antecedens, alterum diſtinguo: Modô Phyſicô N. Metaphyſicô, ſubdiſtinguo in ſingularibus: N. extra: C. ſed nego Conſequentiam: Sic plura ſolves.

Inſtabis: Quomodocunque exiſterent, eſſent ſingulares, ergò &c. Probatur Antecedens: vel eſſent productæ, vel improductæ, ſi primum, omne productum eſt ſingulare, ſi ſecundum, erunt ipſe DEUS qui eſt ſingulariſſimus; Et ſic inſtantes putant ſe multum dicere. Sed reſpondeo breviter Negando ſuppoſitum quòd ſint capacia denominationis productæ, vel improductæ, vel nè videar fugere difficultatem in forma dico, eſſe improductas negativè: C. poſitivè ſicut Deus, qui eſt ens ſpirituale: N.

Inſtabis: Sivè dicantur negativè, ſivè poſitivè improductæ, vel ſunt ipſe DEUS,

vel

vel creatura, quidquid dixero erunt ſingulares. Reſpondeo N. Majorem: ex dictis, terminus *creatura* ſignificat rem Phyſicam ſenſibilem, ſicut lignum, vel ſpiritualem ſicut Angelus.

Inſtabis: Si nec ſint DEUS, nec creaturæ, erunt entia rationis. Reſpondeo Negando Sequelam: datur enim tertius ſtatus eſſentiarum æternæ veritatis; imò illæ formalitates in ſingularibus nec debent dici creaturæ, nequidem entia in recto, ſed in obliquo ùt Subtilis docet: Poncius judicat poſſe dici produci per actionem univerſalem, Lalemandet poſſe dici univerſales in imitando vel repræſentando, eáque eſſe in concavo Lunæ, ſed hoc Lunaticus defendat.

Inſtabis: vel illæ Ideæ dependent à Deo, vel non, quidquid dixero erunt ſingulares: Ergò manet argumentum. Reſpondeo quòd dependeant modô Metaphyſicô. C. modó entium Phyſicorum ſivè ſenſibilium ſivè ſpiritualium. N. & ſi petas quid hoc ſit dependere Metaphyſicè? dico, in quantum illarum objectiva veritas pullulat ab æterna veritate, quæ eſt Deus, ſicut enim verum eſt, quòd Deus eſt, & quòd Deus verus eſt; ita & verum eſt, qnòd Deus cognoſcat verum eſſe, quòd natura bovis non ſit natura lapidis.

Obijcies III. Etiamſi admitterentur tales Ideæ, non eſt conceptibile, quomodo ab inferioribus participentur, vel quomodo ipſa Idea v. g. animalitas dividatur ac multiplicetur. Reſpondeo hoc facillimum eſſe, quot quot enim producuntur ab agente creato corpora humana, quibus Deus dat animam, participant illicò hunc conceptum objectivum, quòd ſint animal, & ita dividitur illa Idea Metaphyſicè, ferè ſicut candelæ ab una participant lumen, quantùm valet comparatio à Phyſicis ad Metaphyſicalia.

Inſtabis: animal deſumitur ſicut *omne genus à materia*: Ergò non ab Idea. Reſpondeo, quòd in Phyſica doceam hoc axioma intelligi proportionaliter, non formaliter, aliàs materia Ariſtotelis non haberet actum entitativum, &c.

Inſtabis: vel participaretur talis Idea ſic ut ipſa ſit tota in ſingulis individuis, vel ut pars ipſius ſit in uno, pars in altero ſingulari, nihil videtur poſſe dici: Ergò, &c. Reſpondeo illos qui cum Scoto defendunt univerſale in ſingularibus *per inexiſtentiam* debere dicere, eſſe totam in ſingulis, ſed non totaliter, ferè ſicut tota anima eſt in digito hominis, capite, & pede, ſed Idea non habet locum, nec dormit, nec ſedet, nec quicquam Phyſici admittit; illos verò qui tan-

tantùm *per indifferentiam* admittunt debere dicere, illam Ideam eſſe diviſam Metaphyſicè, ita ùt ſicut Petrus v. g. hoc inſtanti tali modô participavit, ita Paulus vel alius participare potuiſſet ùt clariùs in ſequentibus.

Inſtabis: anima rationalis eſt etiam tota in qualibet parte corporis v. g. digito, pede, capite, &c. nec tamen eſt univerſalis. Reſpondeo Diſtinguendo Aſſumptum: cum ordine prædicabilitatis. N. absq; illo. C. non enim poſſum dicere, digitus eſt anima, pes eſt anima, ſicut Petrus eſt animal, Paulus eſt animal. Nec dicas utrobiq; concretum valere, nullibi abſtractum v. g. pes eſt animatus, valet, non autem Petrus eſt animalitas. Reſpondeo tamen animam non prædicari de pede tanquam ſuo individuo.

Inſtabis: univerſalia ſunt de eſſentia inferiorum: Ergò nequeunt eſſe ab iis ſeparata. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: univerſalia participata tranſeat nunc, imparticipata, ſubdiſtinguo, poſſibilium. C. actualium. N. dixi tranſeat, quia in ratione univerſalis natura non eſt de eſſentia ſingularis.

Colliges pro mille nugis, quas alii putant Lydios lapillos, ſolvendis: his Ideis nullum prædicatum Phyſicum competere; imò nec

nec tale, quod convenit enti Spirituali v. g. animæ, Angelo; & ſi dicant quid ergò ſunt? dic hoc ultro patere ex diviſione entis juxta nos in Metaphyſica.

DISPUTATIO II.

De Univerſali Metaphyſico, ac Logico.

UNiverſale in *eſſendo*, id eſt proprium: aliud eſt Metaphyſicum, aliud Logicum ex dictis, proportione ſervatâ utrúmque in quinque Species congruè diviſum eſt, at de hoc & illo reſtant particulares difficultates; pro quibus ſit.

QUÆSTIO I.

An detur Univerſale Metaphyſicum à parte rei?

DIco: datur à parte rei univerſale Metaphyſicum in ſingularibus actualiter. ita Sco. in 2. d. 3. q. 1. & alibi cum ſuis contra Scholam Thomiſticam ac Neutriſticam, qui tantùm fundamentale, vel virtuale admittunt, notandum autem eſt quòd additur *in Singularibus*:

Sciendum eſt prævié: quòd natura aliqua communis v. g. rationalitas in Petro poſſit tripliciter conſiderari, *primò*: ùt eſt contracta per Differentiam individualem, hoc

hoc eſt, quatenus eſt v. g. in Petro, & ſic juxta omnes eſt ſingularis; *ſecundo*: illa natura poteſt conſiderari ùt abſtracta, id eſt quaſi tracta ex Petro & alijs individuis, vel ab illis ùt alij, & quóque conveniunt omnes, quòd talis abſtractio fiat opere intellectûs: *tertiò*: illa narura poteſt conſiderari ſecundùm ſe, id eſt ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, & de naturis ſic conſideratis controvertitur, quas Tho & RR. vocant *fundamentaliter* univerſales, Scotiſtæ verò *actualiter* cum hoc diſcrimine, quòd aliqui aſſerant eſſe univerſales per *inexiſtentiam*, alij per *indifferentiam*, alij utrôque modô, & quidem faciliùs illud per indifferentiam defenditur, licèt quoque & alterum ſuſtineri queat: jam

Probatur concluſio primò: ſcientia realis eſt de univerſalibus naturis actualiter à parte rei exiſtentibus, ſed Logica Utens, & Metaphyſica ſunt ſcientiæ reales, & agunt de naturis in ſingularibus: Ergò naturæ in ſingularibus ſunt actualiter à parte rei univerſales. Reſponſiones mox ſubdam.

Probatur ſecundò: univerſale eſt natura in multis, ſed actu naturaliter à parte rei datur natura in multis: Ergò, &c. Probatur Minor. actualiter eſt natura humana in Petro & Paulo & alijs: Ergò, &c.

Reſpondent: eadem natura humana actua-

actualiter eſt in Petro, quæ in Paulo. N. ſimilis. C. Contra primò: ex hoc habetur jam univerſale Metaphyſicum per indifferentiam, illa enim quam vocas ſimilem in Petro, illi quæ eſt in Paulo, ſecundùm ſe conſiderata, eſt indifferens ùt eſſet in Paulo, vel alio quocunque: Ergò eſt univerſalis per indifferentiam. Antecedens conſtat ex declaratione facta: licèt enim ùt eſt contracta ad Petrum ſit extrinſecè ſingularizata, quantùm eſt de ſe, illa nullum involuit prædicatum repugnans Paulo: Ergò quantùm eſt de ſe poſſet eſſe in illo. Contra ſecundò: una natura eſt in Petro, &, Paulo & alijs, non quidem una numericè, ſed ſpecificè. Probatur: Petrus & lapis plùs differunt actualiter à parte rei, quàm Petrus & Paulus: Ergò hi poſteriores à parte rei actualiter aliquid habent in quo plus conveniant, ſcilicet naturam humanam. Confirmatur: natura ſecundùm ſe conſiderata dicit conceptum ſpecificum objectivum à parte rei, ſed illum eundem habent Petrus & Paulus, &c.

Reſpondent: dicit conceptum Specificum fundamentaliter à parte rei exiſtentem. C. actualiter. N. ſuppoſitum quoque actu dari à parte rei ſpecies. Contra eſt: quòd ſuppono Diſtinctionem & unitatem formalem, tertium ſtatum à parte rei, ſinè qui-

quibus velle intentum probare eſt Æthiopem lavare: hôc ſuppoſitô ſic argumentor: vel verum eſt lapidem & Petrum differre quia dicis, vel antecedenter, ſi primum, ego dicam te eſſe in præſepi Domini, & ſic debebis credere; ſi ſecundum, etiam verum erit antequam ullus dicat vel cogitet Petrum, & Paulum convenire in natura humana, conſequenter actualiter.

Reſpondent Suariſtæ: illos convenire quidem in ſimilitudine naturæ: C. in eadem natura: N. Contra: Petrus & Paulus habent eandem naturam, ergò actualiter datur univerſale per inexiſtentiam. Probatur Antecedens: Quòd numerô differant non eſt opus intellectûs, ergò nec quòd ſpecie eandem habeant. Si negaveris Antecedens: illicò dicam te eſſe in præſepi Domini. Contra hos verò demonſtrare illud per *indifferentiam* faciliùs eſt ùt ſupra.

Reſponſiones iſtas continuò replicant, vel negare ſuppoſitum conſueverunt, etiam dum nihil ſupponitur, adeò ut diſputatio in cavillationem verbalem ſæpè tranſeat.

Probatur ſecundò: Univerſale fundamentale vel virtuale eſt purum nomen, ergò actuale debet admitti. Probatur Antecedens: hoc ipſum quod vocant univer-

verſale fundamentale, à parte rei juxta ipſos eſt ſingulare, ergò tantùm habet de univerſalitate, quàm ſi albedinem diceres fundamentaliter nigredinem. Confirmatur: non es homo fundamentaliter ſed actualiter, ergò actu eſt in te natura humana, ſed hæc poteſt eſſe in Paulo, non quidem poteſt phyſicè transferri, ſed potentiâ Logicâ, ergò hæc eſt actu univerſalis remotè, comparando illam ad univerſale Logicum: ex his plures probationes ad hominem, & aliæ erui poſſunt.

Obijcies I. Quidquid eſt à parte rei in ſingularibus eſt productum, ergò omnis natura in ſingularibus eſt ſingularis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: quidquid eſt Phyſici, eſt productum: C. metaphyſi: N. alij communiter dicuunt eſſe comproductas illas naturas, & ſic etiam deſtrui.

Inſtabis: Quidquid eſt in ſingularibus eſt contractum per differentias individuales, ergò ſivè ſit comproductum, ſivè quid metaphyſici, erit ſingulare. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens: ergò eſt ſingulare quatenus eſt contracta, ab extrinſeco, & per accidens: C. ſpecificativè, & ab intrinſeco: N. conſequentiam.

Inſtabis: Natura in ſingulari eſt contracta ab intrinſeco, ergò & ſingularis ab in-

trin-

trinſeco. Probatur Antecedens: non poteſt ſeparari à ſingularitate, imò cum hac identificatur, ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens: probationem diſtinguo: Potentiâ Phyſicâ ſicut corpus ex uno loco ad alium portatur: C. Logicâ: N. & dico eſſe quidem realiter idem, ſed à parte rei formaliter diſtingui ſingularitates, & eſſentias rerum.

Inſtabis: quod eſt univerſale non poteſt fieri realiter, concomitanter vel ab extrinſeco reale, ſicut nec albedo nigredo. Reſpondeo tranſiri à concreto ad abſtractum, hoc quod eſt album poteſt fieri nigrum, non quatenus album ita tenet paritas, præterquam quòd album; & nigrum ſint in eodem genere; Singulare autem exiſtat phyſicè, univerſale metaphyſicè velut ens in obliquò.

Inſtabis: quidquid eſt à parte rei eſt unum numerô, determinatum, & ſimilia Synonima. Reſpondeo ut ſuprà: quidquid eſt Phyſici: C. Mètaphyſici, ſubdiſtinguo, vel ab in-vel ab extrinſeco: C. neceſſariò per ſe ac intrinſecè: N.

Inſtabis: quod determinatum eſt ſivè in-ſivè ex-trinſecè, jam non poteſt eſſe in alio. Reſpondeo ùt ſuprà non poſſe eſſe potentiâ Phyſicâ, & poſſe dici univerſalem

per indifferentiam, licèt daretur quòd eſſent diviſæ, & tantùm ſecundùm ſimilitudinem in inferioribus plurimis.

Obijcies II. Non poteſt dici quòd eadem natura ſit in Petro, & Paulo, ergò nequit dari univerſale per inexiſtentiam. Probatur Antecedens: Aliàs eſſent idem homo. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: eadem Numerô: C. Specie: N. Antecedens, & Conſequentiam.

Inſtabis: quòd dicatur ſpecie eadem, hoc eſt per intellectum, ergò à parte rei non datur &c. Probatur Antecedens: vel enim illa identitas ac unitas eſſet poſitiva, vel negativa, nihil videtur poſſe dici, ergò &c. Probatur Minor: Non poſitiva, quia animalitas Petri & Pauli ſunt ſeparatæ, conſequenter diſtinctæ realiter, ſi verò ponatur negativa, erit præſciſè ſimilitudinis. Ad hoc Argumentum reſpondent diverſimodè inter ſe diſcordes Scotiſtæ Faber, Meuriſſe, Poncius, Columbus, Lalemandet, Compendiatores Maſtrij poſt ipſum. Reſpondéo autem breviter & dico, eſſe unitatem formalem poſitivam, & nego quòd ratione ſui, vel ſecundùm ſe conſideratæ ſint ſeparatæ, ſed ratione ſingularitatis: alia Scotiſtarum via quoque probabilis eſt.

Inſtabis: tali modo Petreitas, & Pauleitas

tas identificarentur cum tertio, ergò & inter ſe. Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: in unitate formali ac ſpecifica: C. numerica: N. ſic diſtinguo Conſequens, & Nego Conſequentiam. Si dicas eſſent unus ſicut Deus Pater, & Filius, falſum eſt, quia tres perſonæ habent naturam numerô eandem.

Inſtabis: eadem natura poſſet dici damnata, & ſalvata &c. Reſpondeo negando ſuppoſitum Antecedentis, quod natura ſecundùm ſe conſiderata etiam in ſingularibus ſit capax prædicatorum phyſicorum: Reliqua ab authoritate petita concludunt de univerſali Logico; De quo ſit

QUÆSTIO II.

Quomodo fiat univerſale Logicum?

DIco: Univerſale Logicum fit per actum intellectûs comparativum judicativum, vel (quod ſignificat idem) eſſentia univerſalis Logici conſiſtit in *dici De*: Eſt Scoti q. 8. & 15. univerſ. contra Thomiſtas ac extraneos plurimos, imò & in hac materia plures Scotiſtæ ſunt magis confuſi quam eruditi. Pro intelligentia

Sciendum eſt, quod univerſale Logicum ſit quædam natura communis affecta ſecundâ intentione, v. g. animal conſideratum ùt genus, de quo omnes conveniunt

quòd fiat per actum intellectûs patientis, vel agentis, quod omitto nè junioribus ſim moleſtus uſque ad lib. de anima: Variæ autem ſunt Sententiæ circa hoc, aliqui dicunt univerſale fieri per actum abſtractivum, ita D. Thomas, Durandus, & alij: Aliqui quòd fiat per actum comparativum, ita communiter noſtri, cum hac differentia quòd aliqui putent fieri per actum comparativum ſimplicem, id eſt ſimpliciter apprehendendo talem naturam eſſe in multis, ita Poncius, Maſtrius, Tartaretus &c. qui defendunt eſſentiam univerſalis Logici conſiſtere in *Eſſe in*: Alij verò dicunt fieri per actum comparativum, prædicativum, vel judicativum, & ſunt ferè illi, qui dicunt eſſentiam conſiſtere in *Dici De*, quàm cum Pontelongo defendam: ubi NB. Compendiatores Maſtrij admittere, quòd conſiſtat in *Dici De*, & tamen fieri per actum ſimplicem, quod in re contrarium ſonat, ut videtur etiam ſentire Lalemandet, imò ipſe Maſtrius Diſp. 4. q. 3. N. 62, in fine, ubi concordiam utriusque merito reijcit.

Probatur primò quòd non fiat per actum abſtractivum: univerſale Logicum fit per illum actum, qui ejus definitionem ingreditur, ſed hanc non ingreditur abſtractivus, bene tamen comparativus, ergò &c.

Major

Major patet cùm ſit opus intellectûs, Minor Probatur: Univerſale Logicum definitur unum aptum proximè in eſſe multis, vel potiùs prædicari de multis, ſed dicere unum *eſſe in*, vel *dici de* multis eſt comparare unum ad multa, ergò &c. Confirmatur: Genus Logicum definitur per ordinem ad ſpecies, ſpecies verò per ordinem ad individua, imò aliqua differunt per ordinem ad diverſa inferiora.

Reſpondent Diſtinguendo probationem, & confirmationem: Definiuntur per ordinem actualem, N. potentiâ: C. Sed Contra: per ordinem quem actu important, definiuntur univerſalia Logica, quod ſic probo: concipere aliquid eſſe aptum ad *in eſſendum* multis, à potiori ad *dici de* multis eſt comparare actualiter, ſed ſinè tali conceptu non fit Logicum univerſale, ergò &c. Confirmatur, Logicum eſt proximè aptum ad *ineſſendum* multis, ergò per ordinem actualem.

Reſpondent: Dicere ordinem ad inferiora à quibus abſtrahitur: C. ad quæ comparatur actu: N. Contra: per actum abſtractivum potiùs tollitur ab inferioribus, quia intentionaliter ſeparatur, ergò per illum non eſt proximè in multis, nequidem aptitudine proximâ.

Probatur ſecundò, quòd fiat per actum

comparativum indicativum, & quidem meo viſu efficaciſſimè contra oppoſitos Scotiſtas: Natura abſtracta nec eſt, nec poteſt eſſe proximè in multis per actum comparativum ſimplicem, ergò per illum non fit univerſalis Logicè. Probatur Antecedens: non eſt in multis, nec eſſe poteſt in multis, niſi dicam, vel per intellectum faciam eam eſſe in multis, ergò &c. Probatur Antecedens: in rebus quæ ſunt à parte rei non eſt quia dico, ſedècontra, ergò in rebus quæ habent eſſe ſuum ab intellectu, non dico eſſe quia revera ſic eſt, ſed ideo ſunt quia dico: Exemplifico paries non eſt albus quia dico, ſed ècontra, at hircocervus eſt quia illum fingo, cùm ergo univerſale Logicum ſit opus intellectûs, non poſſum prædicare de multis quia eſt in multis, ſed ideo concipio proximè eſſe in multis, quia intellectus hoc iudicavit. Nec dicas univerſale Logicum non eſſe comparandum enti fictitio merè, hoc paſſu omninò, licèt aliundè differat cùm univerſale Logicum fundetur in metaphyſico, idem Sco. videtur ſenſiſſe. Nec dicas: illum docere *dici de* eſſe paſſionem. Contrarium oſtendit Pontelongus, licèt aliunde multifariam peccet. Confirmatur: Metaphyſicum proximè eſt in multis, ergò Logicum proximè prædicatur de multis.

multis. Nec valet hoc per intellectum, illud à parte rei. Contra: quia ſuperflueret iſtud exercitium intellectûs: hæc probatio ſupponit univerſale per inexiſtentiam. Confirmatur: adhuc genus definitur quod prædicatur de &c.

Obijcies I. contra primam partem: natura per actum abſtrahentem deſinit eſſe ſingularis, ergò per eum fit univerſalis, quia non datur ſtatus medius. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens: inchoätivè: C. completè: N. datò quòd non ſit ſtatus medius.

Inſtabis: Natura abſtracta ſinè ullo ulteriori actu eſt univerſalis completè, quia una nata eſſe in multis, ergò &c. Reſpondeo: præcisè abſtractam eſſe tantùm potentialiter in multis ac remotè, quod non ſufficit ad Metaphyſicum per inexiſtentiam, taceo ad Logicum.

Inſtabis: univerſale ùt ſic definitur natura apta eſſe in multis, ergò id quoque ad Logicum ſufficit. Reſpondeo tranſeundo Antecedens: *dixi* enim quòd ſit natura in multis, tamen Nego Conſequentiam, quia Logicum nec eſt, nec poteſt eſſe in multis, donec intellectus ipſum comparet, ac deinde judicet. Si dicas, natura abſtracta habet ſe ſicut Idea platonica. Reſpondeo has à parte rei dari, & remotè eſſe in inferioribus.

 In-

Inſtabis: in eo inſtanti naturæ quo natura eſt abſtracta, habetur, quidquid requiritur ad univerſale Logicum, Ergò &c. Probatur Antecedens: poſitis extremis habetur relatio; Sed in illo inſtanti extrema habentur, ſcilicet natura, & inferiora poſſibilia, Ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens: Probatio eſt intelligenda de relatione intrinſecùs adveniente, & à parte rei; at hoc datô nec valet, nam pro Logico univerſali non ſufficiunt extrema quomodocúnque poſſibilia; ſed quibus actu proximè inſit natura per operationem intellectûs.

Obijcies II. Contra alteram partem: Univerſale Logicum pertinet ad primam mentis operationem; Ergò non fit per actum judicativum. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: Factum: C. fieri Univerſalis Logici: N. ſic etiam terminus pertinet ad primam mentis operationem, ſed explicatio termini eſt ſecunda mentis apprehenſio.

Inſtabis: etiam fieri Univerſalis Logici conſiſtit in ſimplici apprehenſione, Ergò &c. Probatur Antecedens: Per talem comparationem natura eſt proximè prædicabilis, quod ſufficit. Reſpondeo: ſufficere ad Logicum inchoâtum: C. comple-

pletum: N. nam cùm nec ſit in multis ante prædicationem; hæc debet eſſe actualis.

Inſtabis: Ante prædicationem actualem eſt in multis, Ergò illa actualis prædicatio eſt paſſio, & prædicabilitas, vel etiã eſſe in multis eſt eſſentia; atque ita fit per actum ſimplicem. Probatur Antecedens: Priùs eſt *eſſe*, quam *dici*, v. g. debet aliquis priùs *eſſe* in Loco, quàm poſſit *dici* verè, quòd ſit in loco. Reſpondeo Negando Antecedens: Probationem Diſtinguo: In ijs quæ ſunt à parte rei, priùs eſt *eſſe* quàm *dici*: C. in ijs quæ fiunt per intellectum: N. vide probationem.

Inſtabis: Talis fictio ſufficienter fit per comparationem ſimplicem, id eſt absque judicio. Reſpondeo Negando aſſumptũ: non enim ſufficit concipere hircum & cervum; ſed aſſeverare oportet quandam unitatem inter ea, combinando enim reſultat fabrica.

QUÆSTIO III.

An Univerſale maneat in actuali prædicatione?

DIco: Univerſale non manet in actuali prædicatione de uno ſingulari tantùm; niſi materialiter ac remotè. Deſumitur ex Sco. ci. quam concluſionem RR. de-

ſendunt permiſcuè; rariùs eam tractant Scotiſtæ.

Probatur primò: Univerſale quà tale dicit ordinem ad multa, Ergò cùm Univerſale Logicum fiat per actum comparativum prædicativum, debet prædicari de multis, ut ſit formaliter tale. Nec valet dicere: quando prædicatur de uno dicere ordinem ad multa potentiâ. Neq; valet: ſaltem Metaphyſicum per indifferentiam non requiri ordinem actualem; nam quæſtio eſt de Univerſali Logico, & completo, v.g. ſi natura abſtracta dicatur de ſolo Petro.

Reſpondere poſſenr, non manere Univerſale formaliter, ſi fiat prædicatio excluſiva de uno ſolo. C. quaſi præſciſiva. N. v. g. ſi quis diceret, Petrus tantùm eſt homo, non Paulus, &c. Tunc non manere; at bene ſi quis diceret Petrus eſt homo; nihil addendo vel excludendo. Contra: nec poſteriori ſenſu formaliter manet univerſale, quia non fit comparatio ad multa. Si dicas poſſe ſubſequi, dico, ideò remotè eſſe Univerſale.

Probatur ſecundò: non valet iſte Syllogiſmus: *Homo eſt Species, ſed Petrus eſt homo, Ergò Petrus eſt Species*: quia mutatur ſuppoſitio termini medii, utpote qui in Majori ſumitur ſimpliciter, in Minori perſona•

ſonaliter: Ergò quando dico: *Petrus eſt homo*; *homo* non manet univerſale formale. Confirmatur: hæc propoſitio: *Petrus eſt homo*: ſignificat: *Petrus eſt habens naturam humanam*; ſed hoc non eſt opus intellectûs, Ergò per illum actum non fit univerſale Logicum.

Retorquere poſſent ſic: nec eſſe Univerſale, ſi quis diceret *Petrus eſt homo, Paulus eſt homo*, *&c.* Contra: ſupponitur natura intellectualiter abſtracta à multis, quibus inerat per indifferentiam, vel ſimilitudinem, & comparata proximè ad illos per prædicationem; quorum nihil completè fit per prædicationem de unico ſingulari.

Obijcies: hæc eſt actualis prædicatio de uno, *Petrus eſt homo*: ſed in hac prædicatione homo manet univerſale, Ergò, &c.

Probatur Antecedens: manet ſpecies, quia ſupponitur fuiſſe ſpecies, Ergò, &c. Probatur Conſequentia: actus ſecundus non deſtruit primum, Ergò ſi fuerit antecedenter ſpecies, manet talis. Reſpondeo Negando ſuppoſitum ultimi Antecedentis: quòd ille actus, quo prædico naturam v.g. humanam de pluribus, habeat rationem actûs primi, reſpectu ejus quo prædicatur de uno, ſunt enim duo actus ſecundi.

Inſtabis: juxtà nos Univerſale Logicum fit per prædicationem exercitam, Ergò ma-

manet in actuali prædicatione. Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: & Conſequens: de multis. C. de uno. N. conſequentiam.

Inſtabis: idem, quod prædicatur de pluribus, etiam de uno prædicatur v. g. eadem natura humana, Ergò, &c. Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: idem eſſentialiter conſideratum. C. denominativè. N. quando enim intellectus actu prædicat naturam de multis, illam afficit ſecunda intentione, quæ naturæ ſecundùm ſe non competit, dicit enim eam eſſe in multis, cùm fuerit abſtracta, & in iis per ſimilitudinem, vel indifferentiam: porrò cogor dicere: quòd pridem adverti, admittentes Univerſale Metaphyſicum per inexiſtentiam, gratis fabricare logicum, cùm enim ſit à parte rei proximè in multis, ad quid abſtrahere, & deinde per intellectum in iis ponere, niſi pro libitu.

Inſtabis: in hac prædicatione: *Petrus eſt homo*, natura non reſtringitur ad Petrum, Ergò eſt eadem denominativè acſi de multis diceretur. Probatur Antecedens: in prædicatione directa prædicatum non reſtringitur ad ſubjectum, ſed; Ergò. Reſpondeo Negando Conſequentiam: neque enim ſufficit natura abſtracta, neque non reſtricta, ſed inſuper requiritur ordo actualis per judicium ad plura. In-

Inſtabis: ſufficit ordo ad unum individuum clarè, & reliqua confuſè cognita; ſed talis ordo reperitur in prædicatione reſtrìcta, Ergò, &c. Reſpondeo tranſeundo Majorem Negando Minorem: quæſtio enim eſt de actuali prædicatione hoc modo, ut de reliquis neque affirmet, neque cogitet, neque neget; imò licèt ſimpliciter cogitaret, completum non foret.

Colliges finaliter ſequentem ordinem, Primò eſſe hæc prædicata in rerum natura, *animalitas, rationalitas*, & ſic de reliquis Ideis; quæ voco Univerſalia Metaphyſica extra ſingularia; in quibus eſſe poſſunt: deinde talis natura vel Idea contrahitur per differentias (ſi eſt generica per ſpecificas; ſi ſpecifica per individuales) v. g. *rationalitas* ad Petrum, Paulum, & alios; & eſt in ijs una unitate formali à parte rei, & hoc vocatur Univerſale Metaphyſicum *per inexiſtentiam*; vèl conſideratur talis natura contracta v. g. ab Adamo, ſecundùm ſe, id eſt, in quantum eadem natura poterat eſſe in Paulo, imò adhuc poſſet eſſe niſi ab extrinſeco eſſet ſingularizata; & hoc vocatur Univerſale Metaphyſicum *per indifferentiam*; quòd dixi: facillimum eſſe. Jam pergo ad Fabricam Univerſalis Logici: quando intellectus cognoſcit naturam eſſe in Petro, & talem, vel ſimilem in alijs indi-

viduis, eam quaſi ſeparat, & extrahit intellectuali modo, id eſt abſtrahit naturam v. g. *rationalitatem* Petri à conditionibus individuantibus; & in hoc primo ſigno natura dicitur abſtracta, quo neque eſt ſingularis, neque univerſalis completè; Sic enim Scotus poſt Avicennam inquit *Equinitas eſt Equinitas*; hoc eſt, conſiderata ſecundùm ſe: alij hoc primum ſignum ſubdividunt; in primo, inquiunt; intellectus cognoſcit convenientiam individuorum; in ſecundo natura abſtrahitur; deinde naturam ſic abſtractam prædicat comparatione componente illam cum individuis; & per dictam prædicationem exercitam facit eam eſſe in multis: oppoiiti Scotiſtæ docent, primò per comparationem ſimplicem *eſſe in*, deindè *dici de* multis; ſed hoc dixi eſſe verum in Metaphyſicis, non Logicis; non enim ideo natura bovina ab æterno eſt diſtincta ab Angelica quia dicis: ſedècontra; at ideo natura ſeparata à Petro, eſt proximè in Petro, & ſimul Paulo, quia judicas ita eam eſſe in illis: Cætera quæ alij Authores & Profeſſores proponunt his vel ſequentibus: abunde comprehenduntur; itáque continuabo hanc materiam in nomine domini, & agam recto ordine poſt univerſalia in communi de ijs in particulari, igitur ſit.

DI-

DISPUTATIO III.

De Genere.

HOc nomen *Genus* multifariam ſumitur: Grammaticaliter vel pro genere maſculino, vel pro fœminino, Rhetoricè, Politicè, civiliter, pro ſtirpe, patria, imò & Phantaſticè apud aliquos ſub hoc genere contentos: ego de genere Philoſophico loquar.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Genus?

DIco: genus rigorosè definitur: *Univerſale quòd de multis ſpecie differentibus prædicatur in quid.* Ita Sco. q. 15. univerſ. cum ſuis, & alijs poſt Porphyrium; Thomiſtæ tamen nolunt eſſe aliam, quàm deſcriptivam; imò Scotiſtæ inter ſe diviſi vocant illam: *per additamentum*; alij puram, ſed hi non videntur legiſſe Porphyrium, ille enim inquit: *Genus eſt quòd de multis ac ſpecie differentibus prædicatur*; unde nè ſit nugatoria ùt habet Sco. ci. & alibi; & ùt incendium illud quod ab alijs timetur, extinguatur.

Explicatur: dicitur primò *Univerſale*; in quo convenit cum alijs quatuor: dicitur ſecundo: *quòd prædicatur de multis*: ut inſinuetur intelligi Genus Logicum; vel ſi *tò prædicatur*: accipias ſignatè, etiam Metaphyſicum comprehenda-

datur: dicitur tertiò: *Specie differentibus*; per quod diſtinguitur à ſpecie, & ſubintelligitur; *incompletè*; quod addunt aliqui explicitè: dicitur *in quid*: per quod ſecernitur à Proprio, Accidente; & Differentia, licèt enim hæc etiam prædicetur *in quid*, imò & *incompletè*, tamen cum addito: in *quale quid*: id eſt, velut pars contrahens, Genus velut contrahibilis pars eſſentiæ. Nunc quòd ſit rigoroſa & bona definitio.

Probatur: Conſtat enim genere, ac differentiâ, &c. Porphyrius autem addens: *de multis ac ſpecie differentibus*: ex Sco. aliud non voluit, quàm, ac eſſe expoſitionem, qualia deberent eſſe iſta multa, & hinc prout ille dicebat, poſſet *per additamentum*, vel potiùs *expoſitionem* dici, imò & deſcriptiva Logicè, non autem Rhetoricè: plures in hoc punćto ſe fatigant ſinè ulla mentione particulæ, *ac, ſed in multis deficimus omnes*.

Obijcies I. Si Genus conſtaret genere & dlfferentiâ, daretur genus generis, imò genus intelligeretur ante primum genus, hoc non, ergò nec illud. Minor patet; quia genus ſub ſe continet omnia genera. Ad hoc Argumentum commune ſunt varij modi reſpondendi; hunc præfero, quô Reſpondeo: daretur formaliter & eſſentialiter genus generis. N. denominativè & accidentaliter. C. ſic diſtinćtâ Minore; Nego Conſe-

ſequentiam. Sic etiam dic Univerſale in communi habere genus, ſi illud univerſale ùt ſic conſideretur materialiter. C. ſi formaliter. N.

Inſtabis: genus, quod eſt primum univerſale, formaliter conſtaret genere; ſicut homo animalitate, Ergò ſolutio ruit. Antecedens Probatur: quia tam eſt verùm, quòd genus ſit univerſale, quàm quòd homo ſit animal. Reſpondeo ùt ſtatim; & dico *formaliter* debere cadere ſuper *genere* quo conſtat genus; ut negetur de ipſo; ſic etiam quòd animal ſit genus; hoc homini non eſt eſſentiale; aliàs & homo eſſet genus; ſic genus eſſentialiter quidem eſt univerſale, ſed quòd univerſale reſpectu generis ſit genus, præſertim ſecundò intentionale, hoc generi hìc definito eſt accidentale.

Inſtabis: ſaltem genus non conſtat differentiâ, quæ generi opponitur, Ergò nequit definiri. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: quatenus differentia eſt univerſale. C. primò intentionaliter conſiderata. N. porrò differentia generi tantùm opponitur ſub ratione univerſalis; non verò materialiter ſumpta. Si quis dicat genus eſſet ſpecies: dico ſubijcibilis. C. prædicabilis ſub eadem ratione quâ genus eſt. N.

Inſtabis: hæc definitio convenit alteri, Ergò ſaltem non eſt rigoroſa: Probatur Antecedens; ens finitum prædicatur de ſubſtantia, & accidente, quæ ſpecie differunt, & tamen ens finitum non eſt genus. Reſpondeo Negando Antecedens cùm probatione; poteſt enim dici genus generaliſſimum; aliàs eoipſo quo non eſt terminus prædicamentalis aliquo modo, à ratione univerſalis excluditur.

Inſtabis: genus prædicatur aliquando de numero differentibus v.g. Si dicas *Petrus eſt animal; Paulus eſt animal, &c.* Reſpondetur: immediatè. N. mediatè. C. ſed meliùs ùt univerſale N. aliter prout dicemus: C, Si quis dicat genus prædicari ùt univerſale de ſecundis intentionibus quæ ſolô numerô differunt; Reſpondeo illas intentiones nudè ſpectatas numerô differre; ſed quatenus afficiunt diverſas eſſentias diſtingui ſpecie.

Obijcies II. Genus non poteſt definiri conſiderando præſcriptas conditiones ad eſſe definiti; vide dialecticam, ergò id fruſtrà tentatur. Reſpondeo has conditiones deeſſe fortè generi ſumpto pro ſola intentione; non verò ſi ſumatur pro ſubſtrato, affecto intentione tali.

Inſtabis: quomodocunque ſumatur nequit definiri; Ergò &c. Probatur Antecedens;

dens; concretum nequit definiri, ſed genus eſt concretum, Ergò &c. Reſondeo Negando Antecedens, probationis Majorem Diſtinguo; Si concretum ſumatur æque primò pro materiali, & formali, tranſeat; ſi pro formali connotante ſubjectum N. Majorem; ſic diſtinctâ Minore: Nego Conſequentiam. Vel, quod ferè eſt idem cum Sannig. dic concretum aliud eſt complexum ex duabus naturis, v. g. *homo albus*; & hoc non poſſe definiri; aliud ex natura, & intentione, quale eſt *genus*; undè ſi quis inſtet: Genus non datur per ſubjectum; dic ſecundas intentiones ſemper connotare ſubjectum.

Obijcies III. Hæc definitio non eſt per notiora, eſſentialia; cùm ſpecies ſit æque obſcura. Reſpondeo ad ſummum inferri: quòd non definiatur ùt abſoluta, tamen modo relativorum: pro alijs ſolvendis

Sciendum eſt genus debere poni in recta linea prædicamentali, hinc excipitur anima ſecundùm plurimos; & quod univocatio fiat per gradus in Metaphyſica explicandos; univerſale verò non prædicari de quinque ſpeciebus ſecundùm majus, & minus, nec contrahi per æquivoca, vide apud Mauritium, Tartaretum & alios.

Quæres; an in definitione generis definiatur natura à parte rei, vel ſola intentio, vel conflatum ex utroque? & ſi hoc ultimum; an unum primariò, alterum ſecundariò, vel utrumque æquè primò? Reſpondeo definiri naturam, quatenus ſubſtat ſecundis intentionibus, unde ſi prædicatio eſt exercita, primariò intentio, connotativè natura definitur, & hæc prædicatio potiſſimùm eſt Logicæ Utentis: Si verò *prædicari* ſumatur ſignatè tunc definitur ipſa natura, quæ de facto brevitatis gratia, ſubſtat ſecundis intentionibus; ex qua explicatione conciliantur, quæ Scotiſtæ fuſè pro vel contra afferunt Scotum hinc indè trahentes, & in re ſic videtur ſenſiſſe Javellus, licèt non tali baſi in prologo poſitâ.

QUÆSTIO II.

An Genus requirat plures ſpecies; & hæc individua?

Dico: Genus requirit plures ſpecies; & hæc individua actu à parte rei exiſtentia, vel ſaltem poſſibilia. Ita Scot. q. 18. univerſ. cum ſuis contra ſcholam Thomiſticam, Fonſecam, Toletum & alios ex RR. concluſio habet duas partes eundem ſenſum habentes; quæritur enim an ſit poſſibile genus Metaphyſicum; aut potiùs Lo-

Logicum, ſub quo non eſſet, niſi unica ſpecies à parte rei poſſibilis? v. g. an animal eſſet genus; ſi nullum animal eſſet poſſibile quam homo; ſimiliter an foret ſpecies, ſi tantùm unicum individuum ſub ea daretur, utì de facto Thomiſtæ aſſerunt de natura Angelica, v. g. Michaëlis, quam hic ſupponunt ſicut cujuslibet angeli naturam ſpecificam eſſe, quod adeò falſum puto, ut in Theologia doceam implicare Angelos ſpecie diſtinctos, quantum eos cognoſcimus pro ſtatu iſto: Sed pro nunc

Probatur Concluſio: quæſtio procedit de genere ac ſpecie quatenus ſunt univerſalia; ſed univerſalia requirunt plura inferiora; Ergo genus requirit plures ſpecies, & hæc individua; Major declaratur, non enim intelligitur de prædicatis eſſentialibus illius naturæ, quæ eſt univerſalis; ſiquidem ſi eſſet tantùm unus homo, & nullus alius poſſibilis, ille adhuc eſſet animal rationale.

Reſpondent: Diſtinguendo Minorem; requirunt plura inferiora vel à parte rei, vel per intellectum: C. neceſſariò à parte rei: N. Contra: requirunt illa à parte rei ſi non actualia ſaltem poſſibilia. Probatur Aſſumptum: individuum non poteſt eſſe univerſale; ſed non eſt alia ratio, quàm

Digitized by Google

quia nequit dici de pluribus, eò quod ſub ſe non contineat inferiora, ergò &c.

Reſpondent: univerſalia Metaphyſica requirere inferiora à parte rei ſaltem poſſibilia: C. Logica: N. Contra: individuum nequit eſſe univerſale Logicum; ſed non eſt alia ratio; Ergò &c. Confirmatur: Univerſale de quo agit Logicus non debet eſſe merè fictitium, ſed cum fundamento ſaltem materiali, ergò ſi illud fundamentum, non habent ſub ſe inferiora, etiam individuum pro tali poſſet aſſignari, ùt fuſè noſtri deducunt.

Reſpondent: debet habere fundamentum vel in re, vel juxtà modum concipiendi: C. neceſſariò in re: N. Contra: in re debet eſſe fundamentum, ut concipiam talem naturam plurificatam, aliàs etiam naturam Divinam poſſet quis temerè univerſalizare ait Sco. Confirmatur: vel tali naturæ repugnat à parte rei pluralitas inferiorum, vel non, ſi ſecundùm; ſub ipſa erunt poſſibilia inferiora ſivè per potentiam naturalem, ſivè ſupernaturalem, ſi primum; eòdem modò natura Dei univerſalis concipi poteſt.

Reſpondent: quòd tali naturæ repugnet pluralitas inferiorum, ſi tamen eſt finita, & quandam ſimilitudinem geſtiat habere cum alijs plurificabilibus; tunc intel-

tellectus eam poteſt univerſalizare, & ſic de Angelica explicant. Contra: dato quòd uatura Angelica foret implurificabilis, ac ſingularis, tunc non eſſet ſimilis, ſed quantum ad hoc, omninò diſſimilis humanæ; quæ poteſt plurificari, ergò nullatenus poſſet fieri univerſalis.

Reſpondent alij: requiri quidem poſſibilia naturaliter: N. ſupernaturaliter: C. ſed hi litem de nomine faciunt cum Sco: idem ſentiente v. g. de ſole, luna, quæ poſſunt fieri univerſalia, licèt naturaliter non poſſint plurificari. Alij

Reſpondent: ad genus requiri plures ſpecies à parte rei, vel ſaltem individua: C. neceſſariò: N. ſed de hoc quæſtione ſequenti: aliæ turpiores reſponſiones ex his eliduntur.

Obijcies I. Genus poteſt ſalvari in unica ſpecie. Nec dicas exiſtente: C. poſſibili: N. Contra: etiamſi tantùm unica ſpecies animalis eſſet poſſibilis, v. g. humana, adhuc animal poſſet eſſe genus, Ergò &c. Probatur Antecedens: dato caſu, animal poſſet præſcindi: Ergò &c. Reſpondeo: Negando Antecedens: ac probationis conſequentiam, vel dico, poſſet præſcindi, & prædicari de ſpecie differentibus: N. ſinè tali prædicatione: C. docui

enim univerſale non fieri per actum abſtrahentem, ſed de pluribus prædicantem.

Inſtabis: illa natura animalis poſſet prædicari, ùt pars contrahibilis incompleta *in quid*; Ergò ſolutio nulla. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: de una ſpecie: C. de pluribus: N. ſed urgent per ſequens fundamentum, pro quo

Inſtabis: intellectus poſſet alias ſpecies fingere de quibus eam ſimul prædicaret, ergò &c. Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ergò eſſet genus per modum chimæræ tranſeat; fundamentale, de quo agit Logicus: N. conſequentiam.

Inſtabis: ſi nulla eſſet ſpecies, tunc foret chimæra; Ergò quando eſſet una ſpecies, ad cujus ſimilitudinem plures intellectus effingit erit fundamentale. Reſpondeo: ſecundum adhuc magis eſſe chimæricum, quia primo caſu aliquid fingo, quod non eſt nec eſſe poteſt, at in ſecundo non tantùm aliquid fingo, quod non eſt nec eſſe poteſt, ſed inſuper album concipio nigrũ, de ſe ſingulare, & impluriſicabile, per modum non ſingularis, & univerſalis.

Inſtabis: majus habeo fundamentum, ut loquar de pluribus mundis, cùm ſit unus, quàm ſi nullus eſſet, datô quòd ſecundus eſſet impoſſibilis, ergò à pari. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ut loquar

re-

repugnantia ſecundo mundo: N. non repugnantia: C. deinde ſi ſcirem ſecundum mundum eſſe impoſſibilem, illum temerè aſtruerem.

Inſtabis: intellectus liberè poteſt tale univerſale fingere, quia univerſale Logicũ eſt relatio rationis, pro qua etiam extrema & inferiora per rationem ſufficiunt. Reſpondeo ùt ſuprà, eſt enim relatio rationis cum fundamento in re: C. ventoſa: N.

Inſtabis: ſi tantùm daretur Petrus, Bucephalus, Aſinus A. Canis B. de his animal poſſet prædicari, non ùt ſpecies, quia in caſu hæc non differrent ſpecie, & ſola individua eſſent; Ergò genus ſalvaretur in unica ſpecie. Reſpondeo: datô hoc caſu eſſent plures ſpecies ſubijcibiles, licèt non prædicabiles; priores ſufficerent ut animal genus diceretur, ut verò prædicabiles ſpecies eſſent requirentur à parte rei individua.

Obijcies II. Genus debet habere inferiora actu exiſtentia; Ergò non ſalvatur in una ſpecie, licèt plures ſint poſſibiles. Probatur Antecedens: debet de ijs actu prædicari: Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: actu exiſtentia objectivè in intellectu, & ſaltem poſſibilia à parte rei. C. actu exiſtentia à parte rei. N. Antecedens, ac probationis Conſequentiam.

Inſtabis: communiter ſolet eſſe una ſpecies à parte rei v. g. Sol, Ergò & altera debet eſſe; conſequenter inferiora debent eſſe actu exiſtentia. Probatur ſequela; genus dividitur per differentias ſpecificas oppoſitas, ſed harum una nequit eſſe ſinè altera, Ergò, &c. Reſpondeo Negando Sequelam & probationis Minorem; vel dico ſi una exiſtat, etiam aliam debere exiſtere, vel in ſingularibus, vel idealiter. C. abſolutè in ſingularibus. Nego: ita etiam Authoritatem Philoſophi intellige; P. Hermann compendiavit ex Maſtrio differentias illas non opponi velut contrarias, ſed privativè, ſed hoc falſum eſt in rationali, & irrationali; quia aliàs & lapis irrationalis eſſet: nam oppoſitio negativa, & privativa ſolùm differunt penes connotatum.

Inſtabis: de facto nullum datur genus, quod non habeat ſub ſe plures ſpecies actu exiſtentes, Ergò ſignum eſt id requiri. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ex exigentia generis. N. ob decorem univerſi tranſeat; ſic dico; quid enim dum erat Solus Adam; & poſt diem judicij non erunt bruta?

QUÆSTIO III.

QuomodoGenus prædicetur de individuis?

DIco: Genus nunquam manet univerſale ſivè prædicetur de individuis ſpecificis

ficis mediatè, ſivè de genericis immediatè. ita dicuntur ſenſiſſe Lovanienſes, quos ſequitur Poncius diſp. 4. q. 5. N. 65. qui tamen rationem illam non habet, propter quam debet teneri à Scotiſtis; eſt autem Contra Maſtrium, & Compendiatores, Mendazam, Hurtadum, Ruvium, &c. quorum aliqui dicunt reſpectu, individuorum ſpecificorum manere genus, reſpectu genericorum eſſe ſpeciem.

Suppono autem cum alijs: Genus v.g. animal prædicari de individuis ſpecificis; bene enim dico: *Petrus eſt animal, Paulus eſt animal*; & quidem probabiliùs hanc eſſe prædicationem mediatam, ſaltèm ſecundùm modum concipiendi, quia Petrus non eſt animal, niſi in quantum homo; ſed de hoc viderint illi contra quos eſt concluſio: deinde ſuppono prædicari de individuis quæ (ſivè benè ſivè malè) vocantur generica; & ſunt ſpecifica, plùs quàm confusè cognita v.g. Si quis à longè videret aliquid currere; neſciens an ſint boves, vel equi, vel homines, talis poteſt verè dicere: *hoc currens eſt animal, illud currens eſt animal*; ſivè itaq; de primis, ſivè de ſecundis prædicetur genus, nō manet univerſale, & quidē.

Probatur primò quod genus prædicatum de ſpecificis non maneat univerſale; quando dico: *Petrus eſt animal, Paulus eſt animal*:

mal: vel ſubintelligitur rationale, vel non? ſi primum: genus non prædicatur, ſed ſpecies; ſi ſecundum: nequit dici prædicatio quatuor ultimorum univerſalium, ùt patet; neque generis, Ergò non habet rationem alicujus univerſalis. Probatur quòd tunc non ſit genus: illud enim prædicatur de ſpecie differentibus.

Reſpondent: de individuis ſpecie differentibus. C. ſpeciebus. N. Contra ex Sco. q. 17. univerſ. nè definitio generis ſit nugatoria *ſpecie differentibus*, eſt expoſitorium termini *pluribus*, Ergò genus prædicatur de ſpeciebus. Confirmatur: ſi dicas *Petrus eſt animal, Bucephalus eſt animal, bos A. eſt animal*: hìc non ſubiјciuntur individua, ſed ſpecies ſubiјcibiles, Ergò &c. Antecedens patet: illa enim ſe haberent, ſicut de facto in opinione Thomiſtarum Gabriel, Michaël; loquor enim ex ſuppoſito, quòd nullus eſſet homo niſi Petrus, nullus equus niſi Bucephalus, imò nec poſſibiles. Confirmatur adhuc: correlativum generis eſt ſpecies ſubiјcibilis, Ergò genus non manet genus reſpectu individuorum.

Probatur ſecundò ſpecialiter de individuis genericis: juxta Adverſarios nec datur, nec dari poteſt individuum purè genericum à parte rei, ſed univerſale requirit neceſſariò in ſententia Scoti individua à

parte

parte rei ſaltem poſſibilia: Ergò reſpectu individuorum genericorum non datur univerſale: Non video quid Scotiſta reſponderet, niſi cum Thomiſtis admitteret fictitia inferiora à parte rei.

Obijcies: entia non ſunt multiplicanda ſinè neceſſitate,ſed hoc fieret excogitando ſextum univerſale, Ergò,&c. Reſpondeo Negando ſuppoſitum; quod prædicatio generis de his vel illis individuis ſit univerſalis.

Inſtabis: quando dico: *Petrus eſt animal, Paulus eſt animal*: habeo naturam unam in multis, Ergò hæc eſt prædicatio univerſalis; non ſpeciei, Ergò generis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: habeo naturam unam in multis cum ſui diviſione. N. absq; ſui diviſione tranſeat; hoc autem non ſufficit, aliàs natura divina eſſet univerſalis.

Inſtabis: Petrus, & Paulus ſunt diviſi, Ergò habeo naturam unam in multis cum ſui multiplicatione. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: reſpectu ſpeciei. C. reſpectu generis. N. quando enim explicatur univerſale; hoc fit per ordinem ad ſua inferiora, per quæ correlativè definitur; genus autem definiretur implicantibus individuis, ſicut natura Angelica, in ſuppoſito Thomiſtarum, ad huc genus eſt. Hinc

ſi

Google

ſi dicas Equus A & Petrus, ſunt animalia numero diſtincta, dico reſpectu ſpeciei. C. tanquam inferiora generis. N.

Inſtabis: individua quidem immediatè ſubijciuntur ſpeciei, ſed mediatè generi, Ergò hæc prædicatio erit mediata generis de ſuis inferioribus, *Petrus eſt animal*, *Paulus eſt animal.* Reſpondeo: ſubijciuntur generi, ùt inferiora, per quæ genus eſt univerſale. N. aliter velut prædicatô diſtinctô ab univerſalibus. C. hoc enim ad genus ſe habet per accidens, quòd ſpecies ſit multiplicabilis; ſicut enim dixi: ſi omnes Angeli ſpecie differrent, adhuc natura Angelica eſſet genus. Si dicas: omne prædicatum commune, ſi eſt finitum, eſt univerſale; falſitas dicti patet in terminis æquivocis, non prædicamentalibus, &c.

Quæres: an genus prædicetur ut pars, vel totum? & ſi hoc ſecundum; an ùt totum actuale, vel potentiale? Reſpondeo cum diſtinctione, ſi genus conſideretur ſub ratione Univerſalis Logici, prædicari ùt totum actuale; ſi verò ſub ratione univerſalis Metaphyſi per inexiſtentiam; adhuc velut totum actuale, non autem totaliter de unoquoque; ſi verò prædicetur velut Idea; aut etiam Metaphyſicum per indifferentiam, prædicatur ùt totum potentiale: ſi tandem loquamur de genere, quatenus

nus eſt conſtitutivum ſuorum inferiorum, ſic tantùm eſt pars, v. g. animal, non eſt tota eſſentia hominis, ſed pars. Si petas intelligentiam proverbij, *genus deſumitur à materia, differentia à forma.* Reſpondeo eſſe proportionaliter intelligendum; ſcilicet, ſicut in Phyſicis materia eſt illud quod actuatur, & forma denominans, ita in Metaphyſicis, genus eſt pars contrahibilis, differentia contrahens. hæc de genere.

DISPUTATIO IV.

De Specie ac Individuo.

NOn agemus de Specie ſignificante figuram vel pulchritudinem; ſed de ea, cujus correlativum ſunt individua; de qua præter ea, quæ proportionaliter ad genus ſunt dicta, examinanda veniunt ſequentia.

QUÆSTIO I.

Quid: & Quotuplex ſit Species?

DIco: Species alia eſt ſubijcibilis, & eſt id, quod ſubijcitur generi, quatenus genus univerſale eſt; alia eſt prædicabilis, quæ Sola habet rationem univerſalis, ac definitur: *Univerſale quod prædicatur de pluribus numerô differentibus in quid completè.* Ita ferè omnes paucis exceptis, qui volunt ſpeciem fieri univerſale per ordinem ad genus.

Pro-

Probatur, & declaratur quoad ſingula: dicitur primò quòd Species alia ſit ſubijcibilis, alia prædicabilis, v. g. Si dico *homo, brutum: ſunt animalia*; Subjecta ſunt Species ſubijcibiles, ſi verò: *Petrus eſt homo, Paulus eſt homo*: jam humana natura eſt Species prædicabilis. ita omnes. Dicitur ſecundò: quòd Species ſubijcibilis definiatur: *id quod ſubijcitur generi, quatenus genus univerſale eſt*, vel quod idem ſonat, *de quo genus ùt univerſale dicitur*: colligitur ex proximè tradita doctrina, & regulis bonæ definitionis. Dicitur tertiò: quòd Species prædicabilis ſit *univerſale, quod prædicatur de pluribus numerô differentibus in quid completè*, hoc eſt ùt tota Eſſentia. ita communiter: & conſtat genere ac differentia: Ergò, &c. Dicitur quartò: quòd ſola prædicabilis ſit univerſale, hoc eſt, quòd induat rationem univerſalis reſpectu individuorum, de quibus dicitur, non verò reſpectu generis cui ſubijcitur; & hoc eſt contra paucos, qui ſic convincuntur: Univerſale eſt natura in multis; ſed Species per reſpectum ad genus non eſt in multis, ſed per ordinem ad individua, de quibus prædicatur, Ergò, &c.

Reſpondet Toletus Diſtinguendo Minorem: ſed ſpecies per reſpectum ad genus non eſt in multis, nec talis reſpectus ſe concomitanter habet; N. ſe habet concomi-

mitanter ad minus. C. Contra: eſt omninò impertinens ad univerſalitatem ſpeciei; quia ſi homo nulli generi ſubijceretur, adhuc foret ſpecies. Hoc tamen dico: Thomiſtas, docentes univerſale fieri per actum abſtractivum, hìc inconſequenter loqui.

Obijcies I. contra definitionem Speciei ſubijcibilis: definitio per circulum eſt vitioſa, ſed hæc eſt talis: Ergò &c Reſpondeo Diſtinguendo Majorem, in abſolutis: C. relativis: N. Majorem, etiam poſſet Negari Minor; aliud eſt enim circulus, aliud per correlativa mutuò explicari.

Inſtabis: unum relativum nequit definiri per alterum,. Ergò & circulus eſt vitioſus in relativis. Reſpondeo, Diſtinguendo Antecedens: Ita ut unum includatur in alio: C. ita ut unum terminetur ad aliud, & viciſſim: N. Antecedens & Conſequentiam.

Inſtabis: etiamſi poſſet definiri, tamen non debet definiri per ordnem ad genus. Probatur Aſſumptum: Species ſubijcibilis eſt univerſalis, quia non ſingularis, nec medium; ſed non fit univerſalis per ordinem ad genus; Ergò &c. Reſpondeo: Negando Aſſumptum, ac probationem Majoris: vel ſpecies ſubijcibilis ſpecifica-

tivè eſt univerſalis, ac materialiter tranſeat, reduplicativè, & formaliter: N.

Obijcies II. contra idem; hæc definitio convenit alteri; neque eſt notior definitô; primum quidem, quia & individuum ſubijcitur generi; alterum, quia eſt per æquè obſcurum, ſcilicet genus. Reſpondeo juxta me primum facile ſolvi; nam individuum non ſubijcitur generi, quatenus genus eſt univerſale, ſed quatenus eſt prædicatum ſeparatum: non adeo in ſententia oppoſita. Ad ſecundum dico: cùm ſpecies ſit ſecundum prædicabile, hinc ſupponit jam genus clarè definitum, & ſic non eſt per æquè obſcurum. Si dicas: ſaltem genus definitur per æquè obſcurum: Reſpondeo relativa ſic ordinariè explicari. Si tandem afferas, quòd etiam differentia ſubijciatur generi, v. g. *rationale eſt animal.* Reſpondeo: non quatenus genus eſt univerſale; ſic enim definitum eſt per ordinem ad plures ſpecies.

Obijcies III. contra definitionem ſpeciei prædicabilis: hæc definitio non habet omnes conditiones requiſitas: convenit enim alteri; nam Natura Divina dicitur de pluribus perſonis numerô diſtinctis. Reſpondeo: Negando Antecedens implicitum. Probationem Diſtinguo: Natura Divina dicitur cum ſui diviſione: N. ſinè

hac

hac: C. quomodo Perſonæ, & Perſonalitates differant in Theologia dicam.

Inſtabis: anima prædicatur de pluribus animabus numerò differentibus cum ſui diviſione, & tamen non eſt ſpecies: Ergò definitio convenit alteri. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: & eſt ens completum: N. incompletum: C. ad genus verò ac ſpeciem, quæ rectâ lineâ ponuntur in prædicamento, requiritur eſſe ens completum: Si hoc non placet, dico animam ùt ſic eſſe genus, rationalem, & ſenſitivam eſſe ſpecies.

Inſtabis: genus eſt ens completum, prout ſignificat poni rectâ lineâ, ſed genus prædicatur de numerô differentibus genericis immediatè in quid completè, Ergò adhuc alteri convenit. Reſpondeo Diſtinguendo Minorem ex dictis, ùt prædicatum aliquod ſeparatum: C. ùt univerſale: N. Minorem, & Conſequentiam, nec prædicatur completè.

Inſtabis: definitio prædicatur in quid completè de numerô: differentibus, v. g. *Petrus eſt animal rationale, Paulus eſt &c.* Reſpondetur *primò*: quà definitio N. quà ſpecies eſt, tranſeat: *ſecundo*: per modum unius: N. in quid, & in quale: C. ſpecies enim ex Sco. q. 21. Univerſ. debet habere unum modum prædicandi. Nec dicas:

ſufficit unitas aggregationis; quia ſpecies ſe habet ùt numerus ex Ariſtotele 8. Metaph. Reſpondeo; nequidem numerum formaliter conſideratum eſſe unum unitate duntaxàt aggregationis, ſed per ſe, minùs definitionem.

Inſtabis: individuum prædicatur de pluribus numerô differentibus completè, & per modum unius, v. g. *Petrus eſt individuum*, *Paulus eſt &c.* Nec dicas: non ùt univerſale; quia petitur principium, imò: *Hoc individuum eſt individuum*, *illud eſt &c.* Reſpondeo pro nunc individuum non prædicari ùt naturam, ſed modum naturæ.

Inſtabis: ſaltem hæc definitio non convenit omni ſpeciei prædicabili, v. g. ſubalternæ, vel intermediæ; ut ſi dicas: *Animal eſt vivens, planta eſt vivens.* Reſpondeo ſpecies ſubalternas eſſe tantùm ſubijcibiles, quia ſi comparantur ad inferiora ſua rationem generis induunt. Si dicant, hominem prædicari de ſpecie differentibus nempè mare & fæmina; dic eos accidentaliter differre.

Obijcies IV. quòd induat rationem univerſalis reſpectu generis probando: Species intermedia eſt univerſalis, ſed hæc non prædicatur de numerô differentibus; Ergò ſit univerſale reſpectu generis. Re-

ſpon-

ſpondeo Diſtinguendo Majorem: quà talis: N. quæ talis: C. nam ùt eſt ſubijcibilis, ad ſummum materialiter eſt univerſalis, ſi verò comparatur ad inferiora, fit genus.

Inſtabis: ut ſubijcibilis eſt, & in ordine ad genus, non eſt ſingularis, ergò univerſalis. Reſpondeo, ùt ſtatim, inferri: quòd paſſivè, & materialiter ſit univerſalis, non formaliter: Sic etiam dic quinque univerſalia, quatenus ſubijciuntur univerſali ùt ſic, eſſe tantùm ſpecificativè, & materialiter univerſalia. Si quis dicat ſpeciem tali modo bis referri, vel habere duos reſpectus; ſub eodem conceptu: N. ſub diverſa ratione: C.

Quæres primò; utrum omnes ſpecies habeant neceſſariò inæqualem perfectionem? circa hoc RR. ſe fuſè occupant, ſed cum neque huc ſpectet, neq; magni emolumenti ſit. Reſpondeo breviter, cum Diſtinctione; ſi intelligatur de ſpecie materiali, id eſt de naturis, quæ poſſunt concipi ſpecies; illas de facto probabiliùs eſſe inæqualis perfectionis, v. g. Angelica eſt perfectior Humanâ, illa equinâ, hæc lapidis &c. Si verò intelligatur de naturis, quatenus ſubſtant ſecundis intentionibus, ſic omnes formaliter eſſe ejuſdem perfectionis; nam, tam benè natura equina

prædicatur de multis numerô differentibus, quàm humana &c.

Quæres ſecundò, quid ſit ſpecies ſubalterna vel intermedia? Reſpondeo, eſſe illam quæ ſubijcitur generi, & comparata ad ſua inferiora quoque rationem generis habet; unde ſicut datur genus generaliſſimum, ſubalternum, vel intermedium, & infimum, ſic & ſpecies prima, deinde ſubalterna vel intermedia, tertiò infima, vel atoma: vide Arborem Porphyrianam hìc pingi ſolitam. Ubi Sciendum eſt litteram D. ſignificare differentiam, Ge. Subal. genus ſubalternum, Spe. Sub. Speciem ſubalternam; reliqua per ſe patent.



AR-

ARBOR PORPHYRIANA.

NB. *Genus.*	Subſtantia	NB. *Generaliſſimũ*
D. Corporea		Incorpo. D.
NB. *Ge. Subalt.*	Corpus	NB. *Spe. Subalt.*
D. Animatũ		Inanima. D.
NB. *Ge. Subalt.*	Vivens	NB. *Spe. Subalt.*
D. Senſibile		Inſenſib. D.
NB. *Genus infimũ*	Animal	NB. *Spec. Subalt.*
D. Rationa-le		Irratio. D.
NB. *Species*	Homo	NB. *Specialiſſima vel infima.*

PETRUS, PAULUS, JOANNES.

QUÆSTIO II.

An ab individuis poſſit abſtrahi ratio communis?

DIco: ab individuis formaliter conſideratis nequit abſtrahi aliqua ratio comunis objectiva; quæ habeat rationem univerſalis, vel prædicati univoci reſpectu eorundem; adeóque nec debere nec poſſe ab ijs præſcindi conceptum formalem. ita Sco. in 1. d. 3. q. 3. & alibi, contra Maſtrium ejusque compendiatores ac varios RR. hanc defendam: Pro cujus intelligentia

Præſuppono, quòd individuum dupliciter ſumatur, *primò intentionaliter*, & *ſecundò intentionaliter*: primô modô ſumptum: definitur *cujus collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*: quas proprietates hoc duplici verſu comprehendes:

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, ſanguis,
Patria, ſunt ſeptem, quæ non habet unus, & alter.

Hoc ſignificat; individuum dici illud, quod hæc ſeptem habet ſimul, quæ nullus alius habet ſimul, unde licèt alius ſex haberet eadem cum uno, adhuc diſtinctum individuum foret. Individuum verò ſecundò intentionaliter ſumptum eſt: *quod de uno ſolo prædicatur*; & in ratione ſubijcibilis,

bilis, quod continetur ſub ſpecie infima, v. g. Petrus ita communiter.

Deinde ſciendum eſt, hæc eſſe Synonima *individuum*, *ſingulare*, *unum numerô*; & ſignificant aliquid cui repugnat dividi in plura inferiora; ſi autem tale individuum ſit in prædicamento ſubſtantiæ, etiam *ſuppoſitum* vocatur v. g. equus A. dicitur ſuppoſitum; ſi inſuper in natura intellectuali dicitur: *Perſona* v. g. Petrus; ſi autem accidens eſt, ſimpliciter *individuum* compellatur; ubi ſciendum eſt, quòd *perſona* etiam poſſit vocari *ſuppoſitum*, & *individuum*, *ſuppoſitum* verò etiam *individuum*; ſed non *perſona*, *individuum*: accidens verò nec *ſuppoſitum*, nec *perſona*; id eſt, ſunt termini minùs & magis communes.

Tandem ſtatus quæſtionis explanandus eſt, & eſt iſte, an, ſicut natura v. g. humana poteſt abſtrahi ab hominibus id eſt inferioribus, an, inquam, ſic ratio, vel natura aliqua individui, ùt individuum eſt, poſſit abſtrahi, quæ ſingulis individuis conveniat; & quidem conveniunt plerique præſertim Scotiſtæ, quod non detur à parte rei talis ratio, id eſt objectiva; certum eſt enim, quòd ſic individua formaliter ſumpta ſint primò diverſa; hoc eſt, ſe totis differant, & in nullo conveniant; adhuc tamen RR. & multi Scotiſtæ aſſerunt; intellectum poſſe ab ijs abſtrahere aliquem conceptum

communem inadæquatum de ſingulis individuis prædicabilem; vel ùt ſpecies, vel ſaltem ùt prædicatum univocum; imò *univocè dictum*, & hoc quidem de mente Scoti: ſed cum Doctor utrique faveat, non immoror domeſticis.

Probatur concluſio primò: vel ille conceptus communis eſt diſtinctus à parte rei, vel non à differentijs individuantibus v. g. à petreitate & pauleitate, quidquid reſponderint impugnabo, Ergò, &c. Probatur Minor; ſi non eſt diſtinctus: jam patet, quòd non ſit præciſus objectivè, nam inter diverſos conceptus objectivos datur diſtinctio Formalis; ſi eſt diſtinctus, Ergò rursùm de illo conceptu, per quem individua cenſentur talia, quæro, an poſſit ab eo præſcindi conceptus aliquis; & ſi dixerint non poſſe, quia eſt illud *quo* individuatur natura univerſalis, idem dicendum eſt de petreitate, quæ eſt ratio quâ individuatur natura humana.

Reſpondent: eſſe formaliter diſtinctum. N. fundamentaliter. C. & Scotiſtæ dicunt non eſſe objectivè præſcindentem conceptum, ſed formalem inadæquatum. Contra: quando à petreitate, & pauleitate, & alijs ſingularitatibus abſtrahis formaliter conceptum communem inadæquatum fundamentaliter diſtinctum, vel concipis

ipſam

ipſam petreitatem, vel non? ſi primum; falſum eſt, quòd hæc ſit communis Paulo, nequidem inadæquatè, cùm ſit principium primò diſtinctivum; ſi non, Ergò habeo conceptum objectivum diſtinctum; quia in via Scoti præciſionum formalium fundamenta, ſunt conceptus objectivi ex natura rei diſtincti.

Reſpondent totis niſibus recalcitrando, & craſsè ſubtilizando: quòd concipiant petreitatem confusè. C. diſtinctè. N. ſed alium conceptum inadæquatum de petreitate habent, qui communis eſt, & pauleitati convenit. Contra: ille conceptus erit diſtinctus, adæquatus, contrahibilis, Ergò, &c. Probatur Antecedens; natura animalis præciſa formaliter eſt conceptus ædæquatus, diſtinctus, &c. Ergò & ille conceptus individui. Probatur Conſequentia: ideo prior, quoniam eſt univocus, & univocè dicitur de ſuis inferioribus, ſed & ſic ille conceptus individui dicetur, Ergò, &c.

Reſpondebunt fortè Diſtinguendo Cauſalem: ideo adæquatè. N. inadæquatè. C. & ſimul dicent; quia hìc non eſt fundamentum in re, ſicut in illis naturis, & hinc conceptum individui debere dici confuſum, inadæquatum, &c. Contra: omninò non eſt fundamentum abſtrahendi, imò im-

impoſſibilitas, ſecundùm Sco. enim præciſio formalis non fundata in objectiva, eſt chimæra; deinde petreitas quà talis eſt principium omninò diſconveniendi cum Paulo; Ergò nequit cum pauleitate in aliquo conceptu communi convenire.

Reſpondent; eſſe principium diſconveniendi à parte rei. C. per intellectum. N. Contra: vel abſtrahis illum conceptum cum fundamento, vel ſinè; item, vel abindividuo quà tali, vel non; ſi ſecundum, non intelligis quæſtionem; ſi primùm quomodo ab albedine velles ingredinem abſtrahere? Confirmatur: abſtrahentium non eſt mendacium, ſed hìc committeretur mendacium, Ergò, &c. Probatur Minor; etiam juxta Adverſarios falſum eſt, quòd Petrus, & Paulus, quatenus individua, in aliquo etiam inadæquato à parte rei conveniant, Ergò tale quid per intellectū abſtrahens mentiretur.

Probatur ſecundò, evertendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ; illi enim putant, quia inferiora nomen individui participant, & etiam verè quodlibet poſſit dici id, quod de uno ſolo prædicatur, hinc eſſe fundamentum faciendi talem conceptum, qui revera non eſt; ſed ſic loquendo etiam objectivum conceptum evincerent; quem tamen nolunt (ſive funda-men-

mentaliter ſivè formaliter diſtinctum) non reflectunt ſe, quòd obſtet individuitatem eſſe rationem *Quâ* naturâ ſit ſingularis, illud autem *quo* nequit dici *quod*; unde nequidem petreitas poteſt dici ſingularis, minùs concipi ùt communis, vel univerſalis.

Obijcies: ab individuis formaliter conſideratis intellectus poteſt abſtrahere rationem communem inadæquatam, ſi non per modum univerſalis, ſaltèm prædicati univoci: univocum eſt unum quod convenit pluribus ſecundùm nomen, & rem: ſed benè dico: *Petrus eſt individuum, Paulus eſt individuum*: vel, *individuum A eſt individuũ, B eſt*, C eſt, &c. ℞ Diſtinguendo Majorem. Univocum eſt unum; id eſt terminus comũnis, qui convenit, &c. C. eſt terminus individuans, vel ratio determinans naturam communem. N. Majorem; ſic diſtinctâ Minore, & pluribus alijs Nego Conſequentiam.

Inſtabis: ſolutio petit principium; ideò enim aliquid eſt terminus communis, quia pluribus convenit ſecundùm nomen & rem, ſed, Ergò. Reſpondeo Negando Minorem quoad ſecundam partem, aliàs & conceptus objectivus diſtinctus eſſet. Si dicas, ſinè opere intellectûs verum eſt dicere, Petrus, Paulus, ſunt individua. Reſpon-

ſpondeo: diſtincta. C. convenientia in ratione individuationis. N.

Inſtabis: Petrus, Paulus, Joannes, verè ſunt individua, Ergò participant idem nomen, & rationem aliquam communem. Reſpondeo ùt ſupra; & dico, utique ſequi quòd participarent rationem comunem, ſi non implicaret in adjecto; nam terminus individuans eſt coarctans omnem communitatem; quomodo ergò ab eo conceptus communis præſcindi poterit?

Inſtabis cum Scotiſtis: ſaltem formaliter poterit præſcindi. Reſpondeo: ſinè omni fundamento tranſeat; ſic dico, cùm enim illi objectivam præciſionem negent, denominationem albi à nigredine quærunt. Nec dicas, longè diſparem rationem eſſe; licèt enim revera non ſit præciſio in individuis à parte rei, ob rationem datam, tamen primò intuitu id videri, atque ſaltem juxta noſtrum concipiendi modum poſſe abſtrahi. Reſpondèo quòd non poſſit fieri niſi ab intellectu ignorante formalitates rerum, v. g. quid ſit eſſe individuum, & quomodo natura communis fiat individua, & per quid &c.

Inſtabis: hic eſt bonus Syllogiſmus; *omne individuum eſt incommunicabile, Petrus eſt individuum, Ergò Petrus eſt incommunicabilis*; at non eſſet bonus, niſi medium foret

ter-

terminus communis, Ergò &c. Reſpondeo: eſſe Syllogiſmum expoſitorium, conſtantem terminis ſingularibus; ſignum autem illud abuſivè ponitur; ùt ſi dicères: *Omnis Petrus*: quod non niſi nominaliter dici debet; cujus alia ratio non eſt, quàm quia hoc eſt hoc, illud eſt tale; intellige quia individuum eſt incommunicabile, & ratio individuationis eſt id quô commune ſingularizatur. An autem à perſonis divinis poſſit abſtrahi ratio communis; de Deo Trino docetur: & certè; ſi dicant: definitio individui convenit pluribus individuis quà talibus, conceptus à parte rei objectivus importaretur, niſi univerſaliter Reſpondendum eſſet: tanquam terminus communis: N. velut ratio determinans terminos communes: C. hæc ſinè partialitate verus Scotiſta judicet.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Principium individuationis?

DIco: Principium individuationis eſt poſitivus gradus aliquis metaphyſicus; qui dicitur: *ſingularitas*, vel *hæcceitas*. Ita pulchrè Sco. in 2. d. 3. q. 3. cum ſuis contra Thomiſtas ac RR. diverſimodè inter ſe diviſos.

Explicatur; quando natura vel Idea aliqua, v.g. natura humana contrahitur, v. g.

v. g. ad Petrum, dicitur petreizari, vel ſingularizari; quæri ſolet, quid ſit hoc, per quod contrahitur, vel ſingularizatur? an ens rationis? vel à parte rei? & quia conveniunt facile, quòd quid à parte rei; igitur an ens phyſicum, v. g. materia, vel aliud? Reſpondet Scotus eſſe metaphyſicum gradum, quem baptizat *hæcceitas*. Notanter additur, quòd ſit *poſitivus*; licèt enim ſæpè per negationes ſoleamus hæc, & illa explicare, v. g. individuum eſt, quod nequit dividi, tamen hujus negationis fundamentum eſt poſitivum.

Probatur primò refutatione aliarum ſententiarum: imprimis exiſtentia rei non eſt tale principium; quia eſſentia, & exiſtentia in exiſtentibus ſunt idem, niſi quis per exiſtentiam hæcceitatem vellet; deinde natura exiſtens quantùm eſt de ſe, eſt communicabilis, Ergò exiſtentia non eſt principium incommunicabilitatis.

Reſpondent: *qua* exiſtens tranſeat, *ùt* exiſtens. N. Contra: niſi exiſtentiam diſtinguas ab eſſentia, & illa communicari poſſet: Deinde nec accidentia poſſunt eſſe; quia natura poteſt exiſtere ſinè accidentibus, ùt alibi docebo; ſed talis adhuc manet individua ergò, &c.

Reſpondent: poteſt eſſe ſinè abſolutis. C. relativis N. Contra: primò intelligitur ſub-

ſubſtantia, quàm quodlibet accidens: Ergò, datò, quòd non poſſit eſſe ſinè certis accidentibus, antecedenter per principium individuationis completur in ratione ſubſtantiæ ſingularis.

Tertiò: nec Materia prima; Tum quia nihil de ea teneo; Tum ſi daretur, Angeli juxtà me differunt numerô, qui nec actu, nec potentiâ informant materiam; Tum quia in generationibus ſucceſſivis, eadem materia poteſt eſſe modò ſub hoc, modò illo ſingulari.

Reſpondent: materiam nudè ſumptam non eſſe principium: C. ſignatam quantitate: N. Contra: individuum directè ponitur in prædicamento, non autem congregatum ex materia, & quantitate; deinde omne accidens ſaltem abſolutum poteſt tolli à ſubſtantia individua.

Reſpondent: ſi utrumque importetur in recto. non poſſe poni in prædicamento directè: C. ſi unum in obliquo: N. Contra: nullum accidens phyſicum poteſt cum ſubſtantia metaphyſica facere unum per ſe, Ergò ſivè in recto, ſivè obliquo importetur quantitas, tale conflatum non ponitur directè in linea prædicamentali.

Reſpondent: quantitatem formalem non poſſe quidem cum ſubſtantia facere

unum per ſe, ponibile in prædicamento, benè tamen radicalem, hoc eſt materiam exigentem quantitatem. Contra: in principijs communibus panis ſingularis transſubſtantiatur in Euchariſtia, non quantitas, ergò &c. Nec dicas manere quantitatem formalem, vel actualem. Contra: panis actualem habebat, Ergò dum deſinit eſſe, non conſideratur in actu exigitivo quantitatis.

Supereſt ergò rationem, quâ individuantur naturæ communes, eſſe diſtinctum in quolibet individuo gradum poſitivum metaphyſicum; qui eſt id *quò natura ſit individua*, v. g. petreitas in Petro, pauleitas in Paulo &c.

Obijcies: Ariſtoteles ſæpè dicit materiam eſſe principium individuationis. Reſpondeo: quòd non capiam iſtud ens; alij dicunt loqui de materia metaphyſica: cujus rationem videtur induere hæcceitas: ita Scotiſtæ; ſed peſſimè; tum ex contextu Ariſtotelis, ubi probat non poſſe eſſe plures mundos, Tum quia hæcceitas utpotè ultimò contrahens, formæ, non materiæ phyſicæ aſſimilanda eſt.

Inſtabis: materia phyſica ſignata quantitate non eſt univerſalis, Ergò ſingularis. Reſpondeo: Petrus non eſt univerſalis, Ergò ſingularis; Ergò erit principium in-

di-

dividuationis? unde ad hoc & ſimilia. Reſpondeo, Ergò eſt ſingularis ùt *quòd*: C. ùt *quò* N. hic eſt quæſtio de eo *quô* res individuatur.

Inſtabis: talis hæcceitas nec eſt ſubſtantia, nec accidens, Ergò cum illa nequeat admitti, materia congruè erit principium *quô* ſingularizantur naturæ. Probatur Antecedens; ſi primum: eſſet infimum in eſſentialibus, quod ſoli ſpeciei infimæ convenit; ſi ſecundum: poſſet ab eſſe. Reſpondeo: eſſe modum ac complementum ſubſtantiæ, quod nequit dici commune, neque ſingulare, cùm ſit illud *quô* ùt ſæpè dixi. Si dicas, erunt plures in uno; Reſpondeo, partiales; & ſubſtantia formaliter eſt perfectior, hoc complementô, quod poſſet ens metaphyſicum accidentale dici in obliquo. Ex his plura Colliges.

DISPUTATIO V.

De Differentia, Proprio, & Accidente.

UTilitati potiſſimùm, ac quantùm poſſibile eſt brevitati ſinè confuſione ſtudens, judicavi de reliquis tribus univerſalibus maſſam dicendorum unicâ diſputatione comprehendi poſſe, itaque de ſingulis, ſingulas quæſtiones proponam; ſit

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

Quid, & Quotuplex ſit Differentia?

DIco: Differentia bene definitur: *univerſale quod prædicatur de pluribus ſpecie, vel numerò differentibus in quale quid.* Colligitur ex Sco. q. 27. Univerſ. & eſt communior opinio inter Peripateticos.

Suppono autem primò: differentiam eſſe quid poſitivi, ac importare diſſimilitudinem in natura; quod cùm tripliciter fiat; differentia alia eſt *Communis*, alia *Propria*, alia *Proprijſſima*: *Prima* eſt quæ facit differre per accidens ſeparabile, ſic Petrus albus differt à Paulo nigro; *Altera* facit differre ratione alicujus proprietatis inſeparabilis, v.g. homo riſibilitate differt ab equo, quà hinnibili; ex hypotheſi quòd hæ ſint proprietates: *Tertia*, quæ ſola habet rationem hujus univerſalis, definita eſt, ac in fundamento eſt ea, quæ facit differre in prædicato eſſentiali, ſicut homo per rationalitatem diſtinguitur à bruto: diviſio bimembris eſt, ſi reducatur ad ſeparabilem, & inſeparabilem ùt patet; & aliæ diviſiones fieri ſolitæ huc referuntur; ſi enim cum Porphyrio dicas, aliam eſſe *quæ facit aliud*, ecce proprijſſima; aliam *quæ facit alterum*, applica huic alias duas claſſes: ſi verò aliam *conſtitutivam*, aliam *diviſivam* com-

compelles; utraque eſt membrum proprijſſimæ ſubdiviſæ.

Suppono ſecundò: definitiones varias differentiæ ſano ſenſu poſſe acceptari, cujuſmodi ſunt ſequentes: *Differentia eſt quâ ſpecies excedit genus. 2. quæ prædicatur de pluribus ſpecie in quale quid. 3. quæ ſeparat ea, quæ ſub eodem genere continentur. 4. ob quam una ſpecies ſeparatur ab altera &c.* Dixi autem notanter in communi definitione, ſcilicet quòd ſit *univerſale quod prædicatur in quale quid.* Dixi inquam notanter *de multis ſpecie vel numerô differentibus*; cùm enim hic oriatur difficultas, reſpectu quorum differentia fiat univerſalis; aliqui dixerunt fieri univerſalem reſpectu ſpeciei quàm conſtituit, v. g. rationale reſpectu hominis; alij reſpectu inferiorum differentiarum, v. g. rationale reſpectu rationalis A. B. C. quibus relictis defendo quòd *differentia ſpecifica infima* fiat univerſalis reſpectu individuorum ſpeciei, quam differentia conſtituit, v. g. rationale reſpectu Petri, Pauli &c. differentia verò ſuperior reſpectu ſpecierum, v. g. ſenſibile reſpectu hominis, bruti &c. atque ita utraque habens rationem tertij univerſalis comprehenditur, & benè definitur. His præmiſſis

Probatur Concluſio, ex regulis bonæ definitionis; & ſi dicas, eſſe ſimul diviſionem;

nem; definiam ſic: *Differentia eſt univerſale, quod prædicatur de pluribus in quale quid*; Si petas deinde, quomodo iſta plura differant? reſpondebo præſcindere, an ſpecie, vel numerô; ſi verò eſt ſpecifica infima, de pluribus individuis, ſi ſuperior, de pluribus ſpeciebus. Addidi *ſpecifica ultima*; nam differentia individualis, vel hæcceitas, eſt omnino ultima, ſed nunquam univerſalis. Confirmatur: differentia tertium univerſale non reſpicit genus, cui ſubijcitur, nec ſpeciem cui æqualis eſt, nec inferiores differentias, Ergò ſpecies ſi eſt ſuperior, & individua ſi eſt infima. Probatur Antecedens; non primum; ùt patet de omni logico univerſali; neque ſecundum, quia æquale non ſunt inferiora. Nec dicas, formaliter: C æquivalenter: N Contra: iſta æquivalentia conſiſtit in eo, quòd de individuis talis ſpeciei dici poſſit, Ergò rationale, v. g. non reſpectu hominis; ſed individuorum; nempè Petri, Pauli &c. ſit univerſale. Nec tandem reſpectu inferiorum differentiarum; nam rationale de rationali A. B. C. non dicitur *in quale*, ſed potiùs per modum ſpeciei, ac totius, Ergò &c.

Obijcies I. hæc ſunt incompoſſibilia prædicari *in quid* & *in quale*; Ergò definitio reijcienda eſt. Probatur Antecedens: præ-

prædicari *in quid* eſt eſſentialiter dici, *in quale* verò eſt accidentaliter dici; ſed prædicari eſſentialiter, & ſimul accidentaliter repugnat, Ergò &c. Reſpondeo : cum Sco. q. 28. univerſ. Diſtinguendo Antecedens : prædicari *in quid* per modum formæ contrahentis, & *in quale* repugnant: N. *in quid* per modum contrahibilis velut genus, & *in quale* : C. ſed Nego Conſequentiam ; differentia ergo, eſt quidem pars eſſentialis, vel quidditativa, quia autem eſt illa pars quæ informat, vel qualificat ſubjectum, vel genus, hinc dicitur *in quale quid*, ita ut *quale* ſignificet modum ſubſtantialem, ſicut accidentia qualificant ſuô modô.

Objicies II. hæc definitio non convenit omni, Ergò, &c. Probatur Antecedens: non differentiæ individuali; nec animæ, quâ homo differt à bruto; nec animali, per quod à lapide ſecernitur. Reſpondeo, Diſtinguendo Antecedens : Communi vel propriæ. C. proprijſſimæ. N. Ad primum. N. ſuppoſitum, quòd individualis ſit capax univerſalitatis. Ad ſecundum dico, animam eſſe differentiam Phyſicam, non Metaphyſicam de qua hìc. Ad tertium patet non eſſe proprijſſimam, quia non tam à lapide per animal, quàm ſenſibilitatem, rationalitatem, propinquiùs, vel remotiùs differt.

Quæres: an diviſio differentiæ in Communem, Propriam, & Proprijſſimam ſit univoca? Reſpondeo Negativè; ſivè enim primò, ſivè ſecundò intentionaliter ſumatur, munus Proprijſſimæ non convenit reliquis, utpote quæ nec prædicantur in *quale quid*, nec faciunt *aliud* ſed *alterum*. Si petas, an differentia includat genus? pro nunc ex Sco. 7. Metaph. negativè reſolvo, cùm diſtinguantur formaliter in tertio.

QUÆSTIO II.

Quale Proprium ſit, & quomodo fiat univerſale?

DIco: Proprium quatuor modis ſumptum; eſt *Univerſale quod prædicatur de pluribus numerô, vel ſpecie differentibus, velùt accidens inſeparabile.* ita Sco. q. 30. & 31. Univerſ. concluſio autem habet tres partes principales, quarum declarationi

Præmittendum eſt; quòd hoc nomen *Proprium* variè ſumatur; primò ùt opponitur metaphoræ; deinde ùt opponitur communi, ſic Paternitas in divinis opponitur Naturæ: quantum ad præſens, Proprium ſumitur quatuor modis; *Primò* pro eo *quod convenit omni, ſed non ſoli* v. g. omnis homo eſt intellectivus, ſed non ſolus, nam etiam Angelus, &c. *Secundò* pro eo, *quod convenit ſoli ſed non omni*, ſic homini conve-

nit

nit ridere actu. *Tertiò* pro eo, *quod convenit omni, ſoli, ſed non ſemper*, v. g. proprium eſt homini caneſcere. *Quartò* pro eo *quod convenit omni, ſoli, & ſemper*; tale proprium eſt riſibilitas in actu primo; & hoc ſignificat convertibiliter prædicari; de his ergò quatuor proprijs ſentio; quòd omnia poſſint habere rationem hujus univerſalis; & ita ex noſtris ſentit Maſtrius, Sannig, & plurimi alij, falſum ergo eſt, quod Hermann ait; quartô modô ſumptum, tantùm eſſe univerſale juxta Scotum, D. Thomam (quos citat ſinè locis citatis) ac communem opinionem. *Altera* pars concluſionis eſt, quòd bene difiniatur, univerſale *quod prædicatur de pluribus velut accidens inſeparabile*, & in hoc conveniunt omnes. *Tertia* pars eſt: quòd proprium ſubalternum reſpectu ſpecierum, infimum verò reſpectu individuorum ſpeciei, fiat univerſale. Exemplum primi eſt; *homo ſe movet, brutum ſe movet, &c.* Secundi, *Petrus eſt riſibilis, Paulus eſt riſibilis*, & hæc communior eſt, contra Maſium, ac paucos alios volentes, quòd infimum reſpectu ſpeciei fiat univerſale. jam

Pobatur prima pars: Omnia quatuor prædicantur velut accidens inſeparabile, Ergò, &c. Confirmatur: non requiritur convertibilis prædicatio, ùt alij præten-

 dunt;

dunt; nam quando dico: *Petrus eſt intellectivus, Paulus eſt intellectivus, &c.* habetur prædicatum conveniens *omnibus, non ſolis*; nec unô modô aliorum univerſalium contingit, Ergò, &c. ita etiam Arriaga de eo, quod convenit *omni* & *ſoli*: & alij de eo, quod convenit *ſoli*, ſed *non omni*; at non æquè fortiter ſtringunt; nam Proprium quartô modô utique maximè rationem quarti univerſalis habet; deinde illud, quod convenit *omni* & *ſemper*, ſed non *ſoli*, reliqua quæ non *ſemper* conveniunt minùs huc ſpectant, & fortè conciliabo de his duobus negantes ac affirmantes per hoc, quòd omne illud debeat inſeparabile dici, quod licèt individuis non ſemper competat, tamen ſemel verum ſit pro ſemper quod ſpeciei *Soli* conveniat. Habeo & dubium, an detur proprium quod conveniat *omni*, *ſoli*, & *non ſemper*; quodnam illud? *caneſcere*, in actu primo convenit *ſemper*, in actu ſecundo *non omni*, ſed malo ſubſcribere communitati quàm ob defectum exempli ſingularis videri.

Probari poteſt ſecunda & tertia pars: ſicut quæſtione præcedenti, proportione con- & diſcon- venientiæ proprium inter, & differentiam ſervatâ.

Objicies I. Univerſale debet eſſe natura communis in multis, ſed proprium nequit eſſe

eſſe in multis; eô ipsô enim amittit rationem proprij. Reſpondeo Diſtinguendo Minorem: Sed proprium uni individuo nequit eſſe in multis individuis; & proprium uni ſpecici nequit eſſe in multis ſpeciebus C. proprium uni ſpeciei nequit eſſe in multis individuis; & proprium ſubalternum nequit eſſe in multis ſpeciebus. N. Minorem; ſic Diſtinguo Conſequens & Nego Conſequentiam.

Inſtabis: proprium uni ſpeciei nequit eſſe in multis individuis, Ergò, &c. Probatur Antecedens: tale proprium eſſet cuilibet individuo proprium, ùt ſupponitur, & non proprium, quia commune alijs individuis ejuſdem ſpeciei, Ergò, &c. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem Diſtinguo: eſſet proprium cuilibet individuo quatenus participatum. C. ſub eadem ratione quâ commune. N. ſic plura talia evinces.

Obijcies II. Quartum prædicabile debet eſſe ita proprium ut nulli alteri competat, ſed tria prima propria alijs competunt, Ergò, &c. Reſpondeo, Negando Majorem; ſufficit enim eſſe accidens inſeparabile, & *dici de pluribus*; etiam Minor eſt falſa de proprio in tertia acceptione, imò & in ſecunda.

Inſtabis: quod alijs competit, eſt accidens

dens ſeparabile, ſed proprium primô modô ſumptum alijs competit, Ergò, &c. Reſpondeo, rurſus Negando Majorem, ùt de intellectivo patet. Si dicas, ſi eſt inſeparabile, non eſt accidens. Reſpondeo: non eſt accidens Phyſicum. C. Metaphyſicum id eſt pullulans ab eſſentia, eámque aliquo priori naturæ præſupponens. N. vel non eſt accidens quartum prædicabile conſtituens. N. quintum. C.

Inſtabis: eſſe Theologum, Philoſophum, bipedem, &c. ſunt propria tribus primis modis; ſed hæc ſunt ſeparabilia, ergò, &c. Reſpondeo, Concedendo Majorem ſub disjunctione & in actu ſecundo; Diſtinguó Minorem: ſunt ſeparabilia ab individuis clarè cognitis, & ſecundùm ſe ſumptis. C. à ſpecie in hoc, vel illo individuo multiplicata. N. hoc eſt licèt Petro v. g. accidat eſſe Theologum, tamen verum eſt ſemper; *nemo eſt Theologus niſi hoc vel aliud individuum hominis*; Cætera plura concludunt hæc tria propria in tanto rigore huc non ſpectare ùt quartum.

Obijcies III. Proprium reſpectu ſpeciei eſt univerſale, v. g. riſibile reſpectu hominis, Ergò non individuorum. Probatur Antecedens: proprium reſpectu ſpeciei poteſt diſtribui v. g. Si in *Celarent* dicas, Ergò *nullum brutum eſt riſibile*, vel *ſolus homo eſt ri-*

riſibilis. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem Diſtinguo: formaliter reſpectu ſpeciei poteſt diſtribui. N. per terminos exponibiles. C. nam *ſolus* diſtribuit in quantum ſignificat *nullus, præter*, hoc autem non eſt prædicare de pluribus.

Inſtabis: tali modo eſſent eadem inferiora Proprij & Differentiæ. Reſpondeo, Diſtinguendo Aſſumptum: materialia. C. formalia & ſub eadem ratione ſubijcibilitatis. N. Si dicas, reſpectu ſpeciei non eſt ſingulare; ad hæc & ſimilia dictum eſt in prioribus.

Inſtabis: ſaltem proprium quod convenit ſoli ſpeciei, & non omni individuo, reſpectu ſpeciei erit univerſale. Reſpondeo, Negando Aſſumptum: quia v. g. *actu ridere, eſſe medicum*, non convenit homini niſi quatenus natura humana eſt in hoc, vel illo individuo.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Accidens qnintum Univerſale?

DIco: Accidens quintum prædicabile benè definitur: *quòd ſit univèrſale quod prædicatur de pluribus ſubjectis contingenter*, Ita Sco. q. 34. & 35. Univerſ. & communis Philoſophorum opinio poſt Porphyrium.

Explicatur: dìcitur primò: *univerſale quod*

quod prædicatur de pluribus; in quo convenit cum alijs; dicitur: *contingenter*, hoc eſt, velut accidens ſeparabile; dicitur notanter de *pluribus ſubjectis*, v. g. color prædicatur in concreto de pariete hoc, & illo, & reſpectu horum parietum, qui ſunt ſubjecta, fit quintum Univerſale; ſi verò color in abſtracto prædicetur de albedine, nigredine &c. fit ſpecies, vel genus; idem eſt de alijs accidentibus; ex quo, uti & regulis bonæ definitionis facilè probatur concluſio.

Colliges, multos peccare in definitione Univerſalis ùt ſic, dum ſtrictè præcipiunt, ut ſit natura, *in multis inferioribus*; meliùs dicitur, *in multis*, ut detur intelligi disjunctio, vel *in multis inferioribus*, vel *in multis ſubjectis*.

Obijcies: hæc definitio neque omni, neque ſoli accidenti convenit, Ergò reijcienda eſt. Probatur Antecedens; nigredo, intellectivitas, ſunt accidentia; ſed hæc non prædicantur contingenter, Ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens, probationis Majorem Diſtinguo: ſunt accidentia inſeparabilia: C. ſeparabilia: N. Majorem; & ſuppoſitâ Minore verâ; ſic Diſtinguo Conſequens, & Nego Conſequentiam: dixi *ſuppoſitâ Minore*; nam aliqui volunt non tantùm *eſſe intellectivum* in ſe-

ſeparabiliter convenire homini, ſed etiam eſſe nigrum corvo, quanquam alij putent dari corvos albos, *albóque ſimillima corvo.*

Inſtabis: nullum univerſale debet dici, quod non identificatur ſuis inferioribus, Ergò accidens nequit eſſe ſeparabile. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ex quatuor primis: C. ex ratione univerſalis ùt ſic N. nam dixi: definiendum eſſe naturam *in multis*, ſivè inferioribus ſivè individuis.

Inſtabis: ſaltem ſoli non convenit, nam etiam quædam contingenter prædicantur, quæ non ſunt accidentia, v. g. de regibus dicitur quòd habeant ſceptra, de hominibus alijs, quòd ſint veſtiti hoc vel illô modô. Reſpondeo Diſtinguendo Aſſumptum: quæ non ſunt accidentia prædicamentalia tranſeat, prædicabilia: N. hoc eſt quidquid contingenter dicitur de ſubjectis, eſt accidens prædicabile; ſivè entitativè ſit accidens, ſivè ſubſtantia; quid autem accidens prædicale vel entitativè ſumptum ſit, ſuô locô dicetur.

Quæres finaliter: an definitiones Porphyrianæ accidentis primò intentionaliter ſumpti ſint bonæ? Reſpondeo affirmativè de ſequentibus: Prima: *accidens eſt quod poteſt abeſſe, & adeſſe ſinè ſubjecti corruptione:* ubi vides, licèt eſſe medicum, ridere actu,

poſſis

poſſit abeſſe, non tamen poteſt adeſſe niſi ſit individuum humanæ ſpeciei. Altera: *accidens eſt quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe*, ubi paricula *non* debet accipi privativè, hoc eſt quòd ſubjectum poſſit eſſe ſinè illo, & ipſum in alio ſubjecto. Tertia: *quod ineſt ſubjecto, nec eſt genus, nec ſpecies, nec differentia, nec propriũ*, ſed contra duas priores.

Obijcies: Mors eſt accidens, item combuſtio reſpectu domûs; ſed hæc non poſſunt adeſſe ſinè ſubjecti corruptione, Ergò, &c. Reſpondetur 1. eſſe accidentia prædicamentalia. C. prædicabilia. N. dicuntur enim tranſitus ab eſſe, ad non eſſe. 2. mortem in fieri non poſſe eſſe ſinè ſubjecti corruptione. N. in facto eſſe. C. 3. mortem non poſſe eſſe ſinè ſubjecti corruptione quoad exiſtentiam, & eſſentiam actualem. C. quoad ideam. N. ſed videtur tolli per mortem eſſentiale prædicatum, ſcilicet eſſe vivens: elige quam placet, ego primæ ſubſcriberem, ſcilicet quòd ſint relationes prædicamentales, hìc autem intelligi poſitivas qualitates. Plura de his materijs vide apud alios; hoc tamen perſuaſum habe, quod ea quæ alij fuſiſſimè copiârunt, clariùs & uberiùs Deo ſpirante his pauculis folijs comprehendi. Pro quo mecum exaltabis Nomen Jeſu, & Immaculatam Conceptionem Virginis Puerperæ, ad noſtram ſalutem ac Dei Gloriam.

TRA-

TRACTATUS II.

In Libros

Perihermenias; Priorum; & Poſteriorum.

LOgicam de terminis, propoſitione, & reliquis ad fabricam formæ Syllogiſticæ Docentem edidi ſub nomine Alphabeti Philoſophici; priorem Tractatum de ſe methaphyſicum, & prædicamentis inſervientem: Pro ulteriori terminorum intelligentia, ac potiſſimùm Utentis locò tradidi, ſupereſt probas in materia Logica de propoſitione, & ſyllogiſmo facere, quæ, ſi non ſint neceſſariæ, utiliſſimas fore ſpondeo.

DISPUTATIO I.

De Signo, Uoce, & Scriptura.

HIs præmitti conſuevit explicatio Nominis, Verbi, Signi &c. quæ Ariſtoteles in libris Periherm. id eſt de interpretatione elucubravit, quorum cùm potiſſima explicuerim in Dialectica; de reliquis ſuper eſt præmittenda præmittere.

QUÆSTIO I.

Quid & Quotuplex ſit Signum?

DIco: Signum benè definitur eſſe id, *quod, præter ſpeciem ſui, quam ingerit ſenſibus, facit nos venire in cognitionem alterius.* Ita S. Aug. l. 2. de doctrina Chriſtiana c. 1. & Scotiſtæ communiter, contra Poncium, quem ſequitur Sannig & alij, in manuſcriptis; ubi obſervo: ſi Ariſtoteles dixiſſet, Evangelium foret, cùm autem S. Pater; fortè conantur eam infringere, quæ reverentia? ſenſus autem eſt, quòd illa res dicatur ſignum, quæ dum cognoſcitur, præter ſui ſpeciem, id eſt, cognitionem, facit potentiam, v. g. intellectum venire in cognitionem alterius; exempli gratiâ, ſi quis cognoſcit hederam domui appenſam, per ipſam ſcit in tali domo in Germania vinum vendi; ex quo patet, quòd ſignum dicat ordinem ad potentiam cognoſcentem, & ad rem ſignatam, cujus ſignum dicitur.

Porrò ſignum dividitur primò in *Naturale* & *Ad placitum*; *primum* abſque hominum inſtitutione ſignat, v. g. *fumus* ignem, & *effectus* ſuam cauſam; *aliud*ècontra, v. g. ex humana voluntate, *crux* vel *luminaria* expoſita ſignificant funus; utrumque ſubdividitur in ſignum *Practicum*, & *Speculativum*, *prius* horum eſt cauſa rei, cujus ſignum

ſignum dicitur, ſicut moraliter ſunt ſacramenta ſigna gratiæ, phyſicè verò aliæ cauſæ naturales; *poſterius* quod nihil efficit, ſicut crux eſt ſignum funeris. Inſuper ſignum penes diverſa connotata eſt *memorativum*, id eſt præteritorum, *Demonſtrativum*, id eſt præſentium; *Prognoſticum*, id eſt futurorum. Exempla ſunt: *imago* ſignum factæ paſſionis, *index* horæ, *Luna pallida* veſperi, pluviæ, unde illud: *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat*: Hæc omnia intelliguntur de ſigno propriè dicto quod Sco. in 2 d. 3. q. 1. vocat *ſignum inſtrumentale, vel cognitum, vel quod*, ad differentiam ſigni Quo, quale eſt ipſa cognitio, quâ ſignum intelligiur, quæ impropriè ſignum eſt. Nunc

Probatur Concluſio: hæc definitio convenit omni, quidquid enim cognitum ducit in cognitionem alterius, eam participat, & ſoli, ùt exinde ſequitur.

Reſpondent: convenit omni ſenſibili. C. etiam ſpirituali. N. Contra: S. Aug. l. c. per ſenſus non intelligit ſenſus organicos, ſed ſenſus prout comprehenditur omnis potentia aliquo modô cognoſcitiva, juxta illud: *quilibet ſuo ſenſu abundat*; deinde datô, quod ſtrictè acceperit: locò: *ſenſibus*, ponam, *potentia*, ecce mare litigioſum eſt evacuatum.

Reſpondent: proinde convenit omni ſigno inſtrumentali: C. formali; N. Contra: ſignum formale eſt illud *quo*, ſed illud *quo* eſt impropriè ſignum, Ergô &c. Confirmatur: P. Herman inquit, & S. Bernardum intellectûs locò, ſenſum uſurpâſſe, & certè id modus loquendi convincit.

Obijcies I. præmiſſæ ducunt in cognitionem concluſionis, ſed illæ non ſunt ſignum, ergò &c. Reſpondeo, quidquid Baro miſceat Negando Minorem: ſunt enim ſignum practicum, ſi non infallibile, ſaltem conſuetò. Si petas, quale ſignum ſit Iris ſignificans pacem inter Deum, & hominem? Reſpondeo, ad placitum Dei ab eodem inſtitutum.

Obijcies II. vel ſignum eſt ens abſolutum, vel relativum, nihil dici poteſt, Ergò &c. Non primum, quia explicatur per ordinem ad aliud; neque ſecundum, cùm non ſciatur an eſſet relatio realis, vel rationis: hoc argumentum in ſe continet integram quæſtionem fuſè agitari ſolitam. Reſpondeo: quòd ſignum materialiter ſumptum ſit ens abſolutum, id eſt res illa, quæ ſignum dicitur, plerumq; eſt entitas abſoluta; nam ſi quandóque relatio foret, ſpecificativè tantùm eſſet; deinde dico, quòd ſignum formaliter ſit reſpectus, relatio,

tio, ordo, & ſi eſt naturale, ordo ille realis eſt, ſi verò ad placitum rationis erit.

Inſtabis: ſi ſignum formaliter ſumptum ſit relatio, vel eſt una, vel duplex. Reſpondeo: ſignum importare duos reſpectus, unum ad rem ſignatam, alterum ad potentiam, quam ducit in cognitionem ſignati. Si quæras, an formaliter conſiſtat in utroque? Reſpondeo Negativè, primariò enim conſiſtit in illo, ad rem ſignatam, illa enim dicitur ſignata in recto, ſecundariò verò in illo ad potentiam, *cui* ſignatur, ita ut primarium in recto, & alterum in obliquo importet.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo Voces ſignificent conceptus, vel res?

DIco: Voces ſunt ſigna ad placitum ſignificantia immediatè ſolas res. Ita Sco. q. 1. & 2. hic, ac RR. plurimi contra Conimbricenſes & aliquos Scotiſtas, qui docent, quòd etiam conceptus ſignificent ſivè primariò ſivè ſecundariò: oſtendam illos litem de nomine facere, & nunquam conceptus ſignificari, niſi induant rationem rei, quo ſenſu tam conceptus, quàm res, imò ùt res immediatè ſignantur.

Præmittendum eſt ex Logica, duplicem eſſe conceptum, quippe *formalem*, qui

aliud non eſt, quàm cognitio *quâ* aliquid cognoſcitur, & *objectivum*, qui eſt ipſa res, quæ cognoſcitur, ſivè hæc ſit rationis, ſivè realis, poſitiva, vel negativa; imò ipſa cognitio formalis, ſi reflexè per aliam cognitionem percipiatur, induit rationem conceptûs objectivi. Igitur cùm hìc doceatur voces eſſe ſigna ad placitum, oritur quæſtio, an conceptus objectivos, vel formales ſignificent? & quidem intelligitur de vocibus articulatis, nam vox definitur: *Sonus ab ore animalis prolatus naturalibus inſtrumentis.* Hoc diſticho complexis.

Inſtrumenta novem ſunt, guttur, lingua, palatum.
Et quatuor dentes, & duo labra ſimul.

ut excludantur ſternutationes, coazzationes &c. hinc deſcribitur vox *articulata*, quæ fit ſecundùm certas leges, ſyllabarum, prædictis inſtrumentis; *inarticulata*, quiscunque ſonus ab ore animalis; cujus repercuſſio per aërem vocatur echo. His præmiſſis

Probatur Concluſio; illud ſignificant voces, ad quod ſignificandum ſunt inſtitutæ, ſed ad ſolas res vel conceptus objectivos ſunt inſtitutæ, Ergò &c. Probatur Minor; ad illud ſignificandum ſunt juxta Ariſt. 1. Elench. c. 1. inſtitutæ, quod ad ſcholas ferre non poſſumus, hoc ſunt res,

nam

nam omnium rerum conceptus poſſumus formare, Ergò &c. Confirmatur: Gen. 2. cap. appellavit Adam nominibus (intellige vocalibus) cuncta animantia, & univerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ, Ergò voces ſunt inſtitutæ ab Adamo ad ſignificandas illas res: Tandem experior in me quòd audiens, & intelligens vocem *homo* veniam in cognitionem naturæ humanæ, non conceptus proferentis, ille enim poteſt dicere *homo*, & cogitare aliud, juxta illud, qui *labijs me honorant, cor autem eorum longè eſt à me.*

Reſpondent: inferri, quòd voces ſignificent res ſecundariò: C. conceptus verò primariò; alij dicunt æque primò: C. ſolas res: N. Contra hos, & illos ſic arguo; vel volunt conceptus formales reduplicativè ſumptos ſignificari, & hoc eſt falſiſſimum, illud enim *quo*, ſub eadem ratione nequit eſſe *quod*; vel volunt conceptus formales ſpecificativè ſumptos ſignificari, ſi reflexè cognoſcantur, vel directè ab alio intellectu, & hoc nullus negabit, ſic enim rationem rei habent, & ego non ſolùm audiens vocem *homo*, venio in cognitionem naturæ humanæ, ſed etiam audiens hoc nomen *Cognitio Petri*, venio in cognitionem, Petri cognitionis objectivè ſumptæ.

Reſpondebunt fortè, tametſi obſcuriùs

riùs loquantur alij, illos velle, ex vocibus colligi poſſe, quales conceptus habeat proferens, hoc gratìs do, conjecturaliter loquendo, ſed proinde non cognoſcuntur conceptus formales loquentis *quà* tales. Nec dicas hoc neminem dixiſſe; parce mihi rem è fundo quærenti. Dixi autem *conjecturaliter*, v.g. ſi audiam aliquem diſputantem, ſanè infero illum egregios conceptus habere, falli tamen poteſt quilibet, nam poteſt ore perorare, & corde aliud ſentire. Probationibus alijs inventis utpotè confuſis non immoror.

Obijcies: Ariſto. 1. perih. c. 1. vocat voces *ſigna paſſionum animi*; S. Aug. *verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi, quod intus latet*, & cap. 13. in Ezech. *verba inſtituta ſunt, per quæ in alterius notitiam quiſq; ſuas cogitationes proferat.* Reſpondeo hos omnes textus & Conſequens Diſtinguendo: ſunt ſigna paſſionum, cogitationum, conceptuum formalium, &c. reduplicativè & formaliter acceptorum. N. ſpecificativè, objectivè & matarialiter ſumptorum. C. at nihil contra me.

Inſtabis: illos velle ex vocibus colligi poſſe, quales habeat alter cogitationes. Reſpondeo: conjecturaliter & ſæpè probabiliter. C. infallibiliter. N. aliàs nemo alium poſſet fallere propriè, nam ſi quis mentiatur

tur alteri meliùs ſcienti, non dicitur eum propriè fallere, hinc eſt illud; licèt nos velimus fallere Deum, quòd non poſſimus, per quod aliorum incendium extinguitur.

Inſtabis: Magiſter per voces diſcipulis conceptus revelat, Amicus Amico confidenter loquitur, &c. Reſpondeo ad hæc omnia, ùt ſuprà in objectione ac inſtantia.

Inſtabis: ſaltem voces reſpectu Dei, & Angelorum ſunt ſigna infallibilia cogitationum. Reſpondeo: Deum abſque vocibus ſcire naturaliter ſecreta cordium, quod & de Angelis inter ſe mutuis nuper ſub me defendit quidam, & ſi Angeli noſtras cogitationes naturaliter non ſcirent, id bonis utpotè de nobis curam habentibus ſpecialiter conceſſum putem, ſicut malis denegatum, ſaltem nè univerſim ſciant ſecreta cordis humani, crediderim, eſto aliàs naturaliter eadem penetrarent.

QUÆSTIO III.

Quid ſignificet immediatè ſcriptura?

DIco: ſcriptura: *eſt ſignum ad placitum calamô vel ſimili inſtrumento factum ad ſignificandas immediatè res vel voces.* coll. ex Scoci. & S. Patre Auguſtino Cap. 5. Dialecticæ, eamque concluſionem jungo velut quietem inter labores.

Declaratur: dicitur primò: quòd ſit,

ſignum ad placitum ab hominibus inventum, ut etiam abſentibus loqui poſſint, ac verba quæ tranſeunt retinere: dicitur ſecundò: *calamo vel ſimili inſtrumento factum*, intellige per modum litterarum elaboratum, aliàs etiam picturæ quæcunque poſſent ſcriptura dici, quod non niſi largè concedendum eſt. Dicitur: *Significans res vel voces*, nam per hanc Scripturam: *buff, baff, &c.* nihil, quàm voces illæ, ſignatur, per illas verò ſcripturas, *homo eſt animal rationale*, exprimitur res vel conceptus objectivè ſumptus, quæ omnia ſunt intelligenda reſpectu potentiæ intelligentis, nam viſus intuens ſcripturam, non venit in ullam cognitionem niſi interiores potentiæ accedant & operentur:

Dividitur ſcriptura juxta varia linguarum genera, prout aliquando de Meteoris edocebo: ſicut autem ſcriptura eſt inventa, ita & varij ſcribendi modi, per impreſſionem, per calamum, & hoc multipliciter; aliqui ſciunt ſcribere, ita ut tantùm de nocte poſſit legi, ſed cùm hujus Scripturæ non ſim amans, nec eam declaro, pro me, ſed pro his qui aliàs nullum fructum ex Philoſophia habent: contingit autem, ſi quis intedularum liquore litteras exaret, per intedulam ſignificatur arbor de ſorte laricum, quæ certum nigrum colorem ef-

fun-

ſundit, cum quo litteras hujuſmodi formare oportet: item dicitur quòd litteræ non appareant, ſi quis alumine ſcribat, niſi ſuperſundantur aqua, & cætera plura Lalemandetus ac Voſſius habent: ut in ovo aliquid ſcribas, ſic facies, alumen ex aceto ſubtiliter multumque teres, & cortici ovi, quod voles, ſcribas, poſtea ferventi ſoli expones, deinde acri aceto impones tribus diebus, exſiccatum concoques, ſicq; coctum cortice denudabis, atque dicto alumine formatas litteras invenies. Allegant Authores citati ex Abbate Trithemio varios occultos ſcribendi modos, v. g. ſi locò A. ponatur C, loca C. ponatur D. & ſic deinceps, donec locò Z. ponatur A: item locò A. numerum 1. loco B. 2. loco C. 3. &c. item ſi pro clavi dimidiatur alphabetum ſic A b c d e f g h i k l m

n o p q r s t u w x y z

& ſi debeat poni littera A. ponitur N. ſi B. ponitur O. & ſic ſemper è regione reſpondens, tam ex ſuperiori quàm inferiori clavis tractu v. g. loco Z. ponitur M. exemplum nawzny ſignificat animal, quo vel ſimili ſcribendi genere utuntur familiares, & Abbas ſupradictus mille modos compoſuit; unde ſi quis horum amans eſt, ipſum conſulat.

Quæres primò: an ſoli homines utatur

tur ſcripturâ, ac vocibus? Reſpondeo affirmativè de vocibus articulatis. Niſi velis contendere pſittacum, & ſimilia animalia quoque loqui, ſic etiam adde illud Thyanei, qui fertur audiviſſe paſſerem venientem ad alios paſſeres, & dicentem loquelâ paſſerinâ, in civitate eſſe aliquem ſaccum cum frumento laceratum, quò illicò perrexerunt: ſtat fides penes authorem.

Quæres ſecundò: an dentur voces ex natura ſua ſignificantes? Reſpondeo primò: non dari in ſenſu Onomanticorum, qui putant nomina eſſe certos radios ab influxu harmoniæ cœleſtis, vel ſideribus ortos, has, vel illas res afficiendo. Reſpondeo ſecundò: voces quaſdam inarticulatas v. g. *riſum, ſuſpiria, &c.* ſignificare naturaliter triſtitiam, vel gaudium; non quidem illa vox inarticulata *riſus*, ſed actio ridendi formaliter ſumpta. Nunc rurſus ad laborem Peripatetico-Platonicum.

DISPUTATIO II.

De Propoſitione.

Dictum eſt, quòd Propoſitio ſit oratio, *in qua unum dicitur de alio*; & quòd immediatè dividatur in *Affirmativam*, ac *Negativam*; quas multifariam ſubdiviſimus in Docente Dialectica, quibus reviſis & recognitis ibi; ſit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Propoſitio ſit una ſimplex qualitas?

DIco: Propoſitio eſt una ſimplex qualitas. ita communior contra Ruvium, Vaſquez, Lalemandet, &c. Senſus eſt: an propoſitio mentalis ſit unicus actus quo v.g. judico: *homo eſt animal rationale*; & quidem conveniunt omnes, antecedenter ad talem actum requiri terminorum apprehenſionem, itémque propoſitionem vocalem, ac ſcriptam eſſe compoſitas ex pluribus vocibus, vel litteris; ſed controvertitur an formalis illa connexio inter ſubjectum, & prædicatum ſit unus vel plures actus; quòd ſit duntaxat unicus.

Probatur: nulla eſt neceſſitas fingendi plures actus, ubi unicus præſtat totum id, quod illi plures præſtare deberent; ſed præſuppoſitâ terminorum apprehenſione, intellectus unico actu poteſt connectere prædicatum cum ſubjecto, Ergò præſtat ille unicus, quod plures deberent præſtare. Probatur Minor; unica viſio poteſt ferri in Petrum currentem, ergò unicus actus intellectûs poteſt connectere curſum cum Petro.

Reſpondent: Negando ſuppoſitum, quòd quæſtio ſic intelligatur; ſed an ille actus quo extrema apprehendimus, & de ap-

apprehenſis judicium fertur, ſit aliquid coaleſcens ex multis actibus, vel unicus? Contra: illi ſunt utique diſtincti actus, ſed falſum eſt quòd prior debeat dici propoſitio, nequidem partialiter; ſed conditio præcedens; hinc aliqui dicunt litem conſiſtere in modo loquendi, quidquid ſit, illi Authores oppoſitæ ſententiæ ad minus perperam judicium explicant.

Confirmatur: non eſt opus ut illa terminorum apprehenſio immediatè præcedat, ſed ſufficit quòd termini ſint, & ſic ex abrupto intellectus poteſt unum alteri jungere unico actu; quod non percipientes aliqui fecerunt quæſtionem de nomine, quæ revera non eſt talis.

Obijcies: quando unum attribuitur alteri eſt compoſitio, ſed in propoſitione mentali hoc fit, Ergò, &c. Reſpondeo: hoc totum concedi, aliud eſt quærere an propoſitio ſit compoſita? aliud an hoc fiat uno actu, vel per plures.

Inſtabis: propoſitio mentalis eſt compoſita, Ergò non eſt ſimplex qualitas. Reſp. ut ſtatim, eſt compoſita uno actu: C. per plures: N.

Inſtabis: ad eam requiritur apprehenſio terminorum, & connexio inter eos; Ergò per plures actus componitur. Reſpondeo: tranſeundo Antecedens, Diſtinguo

Con-

Conſequens : quorum unus præſuppoſitivè, alter formaliter conſtituat propoſitionem : C. uterque formaliter N. *Dixi* : tranſeundo, non enim immediatè prærequiritur, ſed ſufficit intellectum aliquando apprehendiſſe terminos.

Inſtabis : ad propoſitionem formaliter pertinent ſubjectum, prædicatum, ac unio, Ergò unico actu nequit fieri. Reſpondeo : rurſum Diſtinguendo Antecedens : ità ut hæc omnia importentur in recto, & primariò : N. unio in recto, reſiqua in obliquo, & terminativè, & materialiter : C. ſed Nego illatum.

Inſtabis : quomodocunque importentur, intellectus nequit in hæc omnia ferri ſimul, Ergò &c. Probatur Antecedens : ſubjectum, prædicatum, unio non ſunt unum ſimplex, ergò non poſſunt unico actu ſimplici componi. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem Diſtinguo : ſi conſiderentur ſeorſim : C. prout integrant unam propoſitionem : N.

Inſtabis : prout integrant unam propoſitionem ſunt compoſitum, Ergò non ſimplex qualitas. Reſpondeo ùt ſupra, eſſe compoſitum uno actu formali, alijs præſuppoſitis. Si dicas, formaliter eſt ordo, ſed hic eſt inter plura. Reſpondeo eſſe unum ordinem ; terminativè duplicem.

In-

Inſtabis : propoſitio vocalis componitur formaliter ex pluribus vocibus, Ergò mentalis ex pluribus actibus : hæc enim proportionatur priori. Reſpondeo retorquendo argumentum : terminus vocalis, v. g. Conſtantinopolitanus componitur ex pluribus litteris & ſyllabis, ergò & apprehenſio ; deindè dico quòd proportionentur, quatenus utraque eſt propoſitio : C. quatenus prior vocalis eſt : N. unde falſum eſt quod ait Lalemandet, multiplicitati vocum correſpondere conceptus.

Inſtabis : per quid ergò diſtingueretur ſecunda mentis operatio à prima? Reſpondeo : quòd prior aliquid affirmet, vel neget, & quantum ad præſens quòd nullum actum præſupponat. Si dicant eſſe compoſitum artificiale. Reſpondeo per unum actum &c.

Quæres primò, quid ſit veritas? Reſpondeo veritatem proppſitionis, quæ dicitur veritas in repræſentando, *eſſe conformitatem conceptus formalis cum ipſa re, quæ cognoſcitur*, hoc eſt; ſi actus judicij eſt talis, qualis eſt res in ſe, actus dicitur verus, ſi verò non eſt talis, dicitur falſus. ita Sco. in 1. d. 3. contra nonnullos, qui conceptum objectivum cum formali videntur confundere, vel dicentes: *eſſe conformitatem rei in ſe, & rei ùt cognoſcitur*: noſtra reſponſio patet;

tet; *ex eo enim oratio eſt vera, quòd res eſt in ſe,* non quidem hoc ſenſu, ut ſi objectum eſt ſubſtantia, vel materiale, &c. etiam actus talis debeat eſſe entitativè; ſed tantùm repræſentativè, id eſt debet habere quandam rei ſimilitudinem, v. g. ille actus *homó eſt animal rationale*, eſt talis, ſicut revera eſt connexio objectiva inter animal & rationale; ſicut de bonitate ac malitia in Theologia docebo: de veritate tranſcendentali in Metaphyſica.

Quæres ſecundò, an veritas, & falſitas ſint accidentia propoſitionis? Reſpondeo affirmativè, nam antequam intelligatur veritas, vel falſitas habetur conceptus ille quòd *ſit oratio in qua unum dicitur de alio*, & jam intelligitur determinatus per affirmationem, vel negationem; & licèt ſequeretur, quòd unaquæque propoſitio debeat eſſe vera vel falſa, hoc ad ſummum infert eſſe accidentia inſeparabilia ſub disjunctione. Nec dicas propoſitionem affirmativam, & negativam eſſe ſpecies ſubalternas, ſed veritatem & falſitatem ſpecificare ultimatè, ſicut enim eſt impoſſibile eſſe vivens ſenſitivum ſinè rationali vel irrationali, ita & habere propoſitionem ſinè veritate vel falſitate: ſolutio pendet à quæſtione ſequenti. Poncius

& alij hôc nodô ultrò premuntur. Nec valet quòd propoſitio, quæ modò eſt vera, poterat eſſe falſa, animalitas enim contracta per rationalitatem, poterat contrahi per irrationalitatem apud Scoti diſcipulos.

QUÆSTIO II.

An Propoſitio vera, poſſit tranſire in falſam?

DIco: Propoſitio mentalis vera eadem manens ſucceſſivè poteſt fieri falſa. Ita Sco. in 4. d. 8. q. 2. cum ſuis exceptô Ponciô, Hermann, & alijs, quibus permiſcuè ad hærent RR. intelligitur de contingenti.

Probatur primò: Ariſt. cap. de ſubſtantia & Sco. docent veritatem ac falſitatem eſſe accidentia propoſitionis, ſed hoc nequit ſalvari juxta adverſariam opinionem, ergò &c. Nec valet dicere illos loqui dubitativè, datô enim quòd quæſtionem non decidant, jam ſupra probatum, & ipſi Adverſarij concedunt.

Reſpondent: eſſe accidentia, ita ut ſucceſſivè poſſint mutari: N. ita ut illa propoſitio, quæ vera eſt, ab initio potuerit eſſe falſa: C. Contra eſt: quod in quæſito dicebam; deinde vel ſunt accidentia ſeparabilia vel inſeparabilia? ſi ſecundum: confundetur cum materia neceſſaria.

Reſpondet Hermann: eſſe ſeparabilia à ſub-

ſubjecto ſpecificativè: C. reduplicativè: N. Contra: nec paries reduplicativè albus poteſt fieri niger, & tamen ſucceſſivè, Ergò hæc ſolutio eſt inepta.

Reſpondent alij: eſſe ſeparabilia ùt ſupra in prima reſponſione; ſed ſic rationalitas eſt etiam ſeparabilis.

Probatur ſecundò: ſi quis ex motivo probabili judicaret: *Petrus currit*, & hanc propoſitionem mentalem continuaret per horam circiter, non ſciendo an currat reverà, vel non, illo tempore, quo talis haberet hoc judicium; Petrus poteſt currere aliquamdiu, & non currere, Ergò hoc judicium erit verum & ſucceſſivè falſum. Antecedens patet experimentô, Conſequentia Probatur: propoſitio dicitur vera, quando actus eſt conformis objecto ùt in ſe eſt, falſa quando eſt difformis, ſed talis actus eſſet conformis & ſucceſſivè difformis, ergò &c.

Reſpondent Diſtinguendo Antecedens: aliquis poteſt habere tale judicium, ita quòd currat pro toto tempore determinato, vel pro aliqua parte temporis determinati indeterminatè: C. aliter N. ſic autem inferunt ſi toto tempore currat, ſemper eſt vera, ſimiliter & ſi unicâ morulâ currat, ſemper erit vera. Contra: poteſt habere tale judicium, ſinè eo quòd cogitet, Pe-

trus currit toto tempore, currit aliquâ parte temporis, ùt patet, aliàs neque propoſitio generica poſſet eſſe ſinè ſpecifica, porrò noſtra eſt indifferens ad utramlibet Adverſariorum.

Reſpondent alij: poteſt quis habere tale judicium ſinè deſcenſu copulativo, vel disjunctivo: N. cum uno ex duobus: C. jam autem ſi ſumatur copulativè, id eſt: & hoc inſtanti, & illo, & iſto currit, ſi ſemper currat, ſemper erit vera, ſi in uno non currat, abſolutè erit falſa: ſi verò disjunctivè, vera erit, dummodo unicô inſtanti currat, propter hoc Meldula oppoſitam vocat probabilem. Sed contra: poſſum habere judicium præſcindendo ab omnibus hiſce modis, ergò & alius, ergò &c. Antecedens infra declarabo.

Reſpondet Poncius multa, quæ ad formam applicata vel principium petunt, vel nihil ſolvunt, quantum capio, & ipſe, & ſui dicere volunt, Petrus poteſt currere & non currere, ita ut maneat idem actus: N. ita ut diverſificetur actus: C. Contra: nihil ſciens an reverà currat vel non, ſed ex motivo probabili judicans poteſt diu continuare idem judicium; ſupponitur enim ex animaſtica unum actum poſſe continuari aliquam diu.

Objicies I. hæc eſt propoſitio contingens:

gens: *Petrus currit*, ſed hæc nequit de vera tranſire in falſam, ergò &c. Probatur Minor; vel enim ſignificat tempus præſens determinatum, vel indeterminatum, quidquid dicitur eſt contra, ergò &c. Probatur Minor: ſi determinatum, propoſitio erit omninò vera, ſi toto illo tempore currat, omninò falſa, ſi aliquando non currat; ſi verò indeterminatum, ad veritatem ipſius ſufficit curſus unico inſtanti. Reſpondeo Negando Minorem, probationis Majorem Diſtinguo: ſignificat tempus præſens confuſè, & præſcindendo an determinato vel indeterminato tempore: C. explicitè & determinatè: N. Majorem. ſic diſtinctâ Minore: N. Conſequentiam, & ſuppoſitum, quòd non detur actus præſcindens.

Inſtabis: hæc propoſitio: *Petrus currit*, diſtinctè ſignificat tempus præſens, ergò ſignificat determinatum, Ergò &c. Reſpondeo: ùt ſtatim, tempus præſens præſcindendo an determinatum vel indeterminatum: C. unum ex alterutris: N. pro quo bene conſidera has tres propoſitiones inter ſe diſtinctas, & tamen omnes erunt de præſenti, *Petrus currit*, *Petrus currit hoc momentô*, *Petrus currit aliquô momentô*, prima præſcindit, & nihil dicit, quàm inhærentiam prædicati ad ſubjectum.

 In-

Inſtabis: hæc propoſitio: *Petrus currit*: ſignificat vel æquivalet huic: *Petrus currit aliquo tempore*, ſed idem eſt dicere currere aliquo tempore, & currere tempore indeterminato, ergo adhuc currit tempore indeterminato, ergò ſi unicô punctô currat ſemper erit vera. Reſpondeo Negando Minorem, & Major poteſt diſtingui: ùt ſupra: currit aliquo tempore præſcindendo an determinato, vel indeterminato; C. uno horum N. nunquid enim iterum ſunt propoſitiones diſtinctæ illæ tres, *Petrus currit aliquo tempore*, *Petrus currit aliquo tempore determinato*, *Petrus currit aliquo tempore indeterminato*, ubi vides primam præſcindere, & talis in caſu noſtro foret, per quod plura ſolvo, & puto Adverſarios hoc negare non poſſe. Idem eſt, ſi arguunt, vel ſignificat copulativè vel disjunctivè; dico, inquam, etiam abſtrahi.

Obijcies II. ubi mutatur objectum, etiam mutatur propoſitio; ſed quando Petrus currit, & non currit, mutatur objectum, ergò &c. Reſpondetur Diſtinguendo Majorem: ubi mutatur objectum materiale, mutatur etiam &c. N. ubi formale. C. ſed illud hìc manet.

Inſtabis: mutatur curſus Petri, ſed ille eſt objectum formale, ergò &c. Reſpondeo Diſtinguendo Minorem: curſus Petri

qua-

quatenus exiſtens à parte rei. N. quatenus in ſpecie relucens: C. ſed N. Conſequentiam; quia talis propoſitio non eſt intuitiva; id eſt de objecto ùt exiſtente, hoc eſt, ùt exiſtentia ſit ratio motiva; ſed eſt actus abſtractivus, id eſt, ex certis conjecturis judicat curſum eſſe connexum cum Petro, ità ut curſus reluceat in ſpecie impreſſa, de qua in lib. de anima ac ubi de viſione beata. Vel dic propoſitio mutatur quoad ſubſtantiam: N. quoad accidentia: C.

Inſtabis: ſi maneret eadem propoſitio quoad ſubſtantiam, ſequeretur, quòd veritas revelata fieret falſa, hoc non, ergò &c. Probatur ſequela; hæc v. g. *Chriſtus naſcetur, B. Virgo concipiet &c.* Reſpondeo: hoc utique ſequi, jam enim eſt falſa *virgo concipiet, ſaturabitur opprobrijs*; Chriſtus enim ſemel paſſus, non morietur amplius, intellige de revelatis ſpecificativè ſumptis. Si dicant ergò omnes propoſitiones Logicæ, quas veras defendimus, poſſent falſificari. Negatur conſequentia, tum quia plurimæ ſunt in materia neceſſaria, tum ſi quæ contingens per accidens miſceretur, ad rem non eſſet.

QUÆSTIO III.

An ex propoſitionibus contradictorijs de futuro contingenti una ſit determinatè vera, altera falſa?

DIco: Ex propoſitionibus contradictorijs de futuro contingenti, ante præſcientiam Dei, nulla eſt determinatè vera, vel falſa; nec poſt præſcientiam Dei loquendo philoſophicè; licèt theologicè, poſt illam una ſit determinatè vera. Coll. ex Sco. in 1. d. 39. &c. in qua concluſione ſunt tres partes: *Prima*; quòd nulla ſit determinatè vera ante præſcientiam futurorum in Deo, & ita Scotiſtæ contra varios extraneos; *Altera* pars quòd nec poſt præſcientiam philoſophicè loquendo: patronum habet Catharinum, Aureolum, Vallium, quos P. Hermann omninò hìc confusè procedens, vel non legit, vel obiter; cæterum eſt contra omnes modernos ferè, quia hanc ſubtilem explicationem non audiverunt, vel non penetrârunt. *Tertia* pars quòd theologicè ſit una determinatè vera: aliud non ſignificat, quàm quòd Deus ſciat quid determinatè ex ijs ſit futurum, uti cum Chriſtianis contra Ethnicos teneo in primo Senten. ubi, & de modo quo hoc fiat.

Probatur prima pars: propoſitiones con-

contradictoriæ de futuro contingenti ſunt, v.g. *Petrus cras curret*, *Petrus cras non curret*, ſed ex his ante præſcientiam DEI nulla eſt determinatè vera, vel falſa, ergò &c. Probatur Minor: per præſcientiam Dei, intelligitur actus intellectûs divini, quo, præſuppoſitis certis decretis, cognoſcit futura, ſed ante talem actum nulla eſt determinatè vera, Ergò. Probatur Minor; ante talia decreta, quæ huic actui præponuntur, vel illum concomitantur ex dicendis, nullus eſt prædeſtinatus vel reprobatus; Ergò nullus effectus contingens, v.g. curſus determinatè futurus. Confirmabitur à potiori ex ſequentibus.

Probatur ſecunda, & principalis pars: poſitâ præſcientâ Dei, Deus ſcit an Petrus v.g. peccabit vel non peccabit, hoc eſt in mente Dei vel Theologicè, una eſt determinatè vera, & oppoſitum inquit Moriſanus à Sixto IV. damnatum eſſe; Tamen Philoſophicè loquendo: ſic arguo: poſitâ præſcientiâ Dei effectus futuri contingentes dependent à cauſa libera indeterminata utrumque facere potente, Ergò nullus eſt determinatè futurus, Ergò nunquam propoſitio de tali effectu eſt determinatè vera Philoſophicè.

Reſpondent Diſtinguendo Conſequens primum & ſecundum: quoad nos C. in ſe

N. hoc eſt; nos quidem non ſcimus, quid ex alterutro fiet, unum tamen determinatè erit. Contra: nec in ſe determinatè effectus eſt futurus, vel propoſitio vera, quia effectus poteſt fieri & non fieri, Ergò nec eſt futurus determinatè, nec non futurus determinatè.

Reſpondent: non eſt determinatè futurus neceſſariò, & *determinatione de poſſibili.* C. infallibiliter, & *determinatione de ineſſe.* N. hoc eſt, poteſt quidem fieri & non fieri, erit tamen illud infallibiliter quod Deus prævidit. Contra: jam dixi quod Theologicè una ſit vera, hinc nihil hic de mente Dei miſcendum eſt, ſed de effectu in ſe loquendum, ſic arguo: non eſt neceſſariò futurus, nec *determinatione de poſſibili*, Ergò non eſt determinatè vera philoſophicè, nequidem *determinatione de ineſſe*, *hæc* enim aliud non importat quàm Deum ſcire, quid fiet. Confirmatur: effectus futurus poteſt conſiderari dupliciter, vel quatenus prævíſus à Deo, vel præcisè reſpiciendo cauſas ordinarias, quas hìc liberas vocamus; de primo modo non diſputo, de ſecundo patet, quòd cauſa libera poſſit indifferenter utrumque, & præſcientia hanc indifferentiam non tollit, Ergò etiam poſitâ præſcientiâ ſpecificativè reſpectu cauſæ liberæ præſcisè, nec eſt futurus determi-

natè,

natè, nec non futurus. Porrò non nego quàm plures loqui de hoc complexo, quatenus dependet effectus à cauſa libera & Dei mente, illi quidem bene dicunt eſſe determinatè futurum, ſed ex neſcientia hujus ſubtilis diſtinctionis.

Obijcies I. contra primam partem: ante præſcientiam Dei hæ propoſitiones: *Petrus peccabit: non peccabit*: ſunt contradictoriæ, Ergò una vera altera falſa. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens: determinatè. N. indeterminatè. C. aliàs nec differrent à materia neceſſaria v.g. *homo eſt, non eſt animal.* Nec dicas priores eſſe tantùm veras quoad ſe. Contra: etiam multæ in materia neceſſaria ſunt ignotæ nobis.

Inſtabis: ante præſcientiam una eſt determinatè vera, altera falſa, Ergò, &c. Probatur Antecedens: hæc eſt falſa *Petrus curret, vel peccabit*, quia ante voluntatem Dei quæ includitur in præſcientia, nulla creatura aliquid poteſt facere contingenter, Ergò hæc eſt falſa: *Petrus curret.* Reſpondeo: ſi ſic ſumatur præſcientia ſuppoſitum eſſe falſum, quòd ſit contingens, tunc enim neceſſarium eſt *Petrus non curret*; videtur autem intelligi, poſtquam Deus generaliter ſtatuit dare potentiam, & in illo priori, antequam ſingulatim decrevit, prout nos concipimus Theologiæ loco.

In-

Inſtabis: etiam poſitâ generali voluntate eſt una determinatè vera. Probatur Aſſumptum: curſus Petri certò fiet, vel non fiet, Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo probationem aſſumpti: disjunctivè. C. determinate. N. imò hoc patet, quòd ſit futurus curſus indifferenter & nequidem à cauſa extrinſeca determinatus.

Inſtabis: hæ propoſitiones determinatè ſignificant, Ergò & ſunt determinatè veræ; videnter enim ſynonima. Reſpondeo: tales totô cœlô errare; nam & hæc determinatè ſignificat *Petrus eſt lapis*, dico Ergò *determinatè ſignificare*, opponi: *indeterminatè ſignificare*, quæ ſunt generica ad veritatem ac falſitatem; deinde veritas eſt ſuperius ad veritatem & falſitatem; idem de falſitate eſt.

Obijcies II. contra alteram partem: hæc ſententia eſt cenſurata à Sixto IV. & verum eſt determinatè: *Meſſias veniet*, Ergò, &c. Reſpondeo Sixtum voluiſſe Theologicè unam eſſe veram, altera jam eſt vera quia venit, non autem quando erat de futuro, vel quatenus præterita.

Inſtabis: talis propoſitio Philoſophicè conſiderata eſt determinatè vera vel falſa. Probatur Aſſumptum; talis propoſitio in ſe eſt conformis objecto determinatè futuro, Ergò vera. Reſpondeo: negando ſup-

ſuppoſitum quòd objectum ſit determinatè futurum, niſi loquaris dependenter à ſcientia Dei & determinatè.

Inſtabis: præſcindendo à ſcientia Dei, dummodò hæc ſpecificativè præceſſerit, actus eſt conformis objecto determinatè futuro, Ergò, &c. Probatur Antecedens: hic actus: *Antichriſtus erit, non erit*, dicit utrumque determinatè, quòd aliquando de præſenti erit, Ergò, &c. Reſpondeo Negando Antecedens cum probatione: dicit hoc enim duntaxat ſub indifferentia.

Inſtabis: hodie vera eſt propoſitio: *Scribo*, Ergò erat heri verum, *cras ſcribam*: Probatur Conſequentia; heſterna enim erat talis de futuro, qualis hodierna de præſenti. ReſpondeoNegando Conſequentiam, probationem diſtinguo: exceptâ determinatione. C. hac incluſâ. N. nam Philoſophicè heri potentia omninò erat indifferens, at hodie ſeipſam determinavit. Si dicas, Ergò propoſitiones de contingenti non erunt unquam veræ, negatur conſequentia, ſemper illarum alterutra eſt vera, ſed antè determinationem Dei nulla Theologicè, antè determinationem cauſæ liberæ nulla Philoſophicè.

Inſtabis: licèt quoad nos non ſint determinatè veræ, tamen certum eſt, quòd poſitâ ſemel præſcientiâ Dei, etiam abſtrahendo

hendo ab illa, unum fiet ex duobus determinatè. Reſpondeo, ùt ſæpè dixi reſpectu creaturæ quodcunque fiet contingenter, liberè, ſub disjunctione; reſpectu Dei verò ac Prophetarum, quibus Deus revelat, futuros eſſe effectus determinatè, ac etiam commenſurari propoſitiones. hæc ex libris de interpretatione ſum interpretatus.

DISPUTATIO III.

De Syllogiſmo.

His quoque præmittenda eſt lectio eorundem, quæ in Logica Docente vel Alphabeto de Syllogiſmo docui; atque ità de ipſomet objecto attributionis experimenta formæ fieri poſſe monſtrabitur, pro quo ſit.

QUÆSTIO I.

An Aſſenſus Præmiſſarum neceſſitet intellectum ad Concluſionem?

Dico: aſſenſus præmiſſarum non neceſſitat intellectum ad concluſionem, neque neceſſitate exercitij, neque univerſaliter neceſſitate ſpecificationis, eſt contra quàm plures ex modernis, vel pro utráque neceſſitate, vel pro illa ſaltem, quæ ſpecificationis dicitur ſtantes. Senſus eſt, num quando intellectus fecit duas bonas præmiſſas, eaſque ùt tales approbavit, num inquam,

quam, tali caſu poſſit ab exercitio concluſionis abſtinere, & an poſſit contrariam, vel ſaltem diſparatam inferre?

Probatur concluſio primò, quòd ſcilicet non neceſſitetur intellectus quoad exercitium: poteſt aliquis facere has præmiſſas, *omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo*: & tamen cogitare immediatè poſt, *quòd baculus ſtet in angulo*, ùt experientiâ conſtat, Ergò, &c.

Reſpondent: poteſt hoc ore proferre. C. mente. N. Contra: experior in me has cogitationes: *in Darij debet eſſe major univerſalis affirmativa, minor particularis, terminus medius in majori locò ſubjecti, in minori locò prædicati, Ergò iſtæ præmiſſæ ſunt bonæ; omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo; jam ſonat campana.*

Reſpondet Poncius: Ergò non neceſſitatur ad faciendam concluſionem, ſi quis concluſionem non apprehendat. C. ſi illam apprehendat. N. & inquit, tolli ſuppoſitum, quod tale eſt, an dum quis præmiſſas fecit, judicavit eſſe bonas; concluſionem apprehendat, id eſt, advertat inde ſequi, an inquam, poſſit tunc abſtinere? Contra: imprimis falſum eſt, quòd concluſio dicatur apprehendi, benè termini conſequentis, deinde illud ſuppoſitum eſt tale pro ſecunda parte, quantùm ad hoc, quòd conclu-

cluſionem debeat quodammodo advertere inde ſequi; an tunc ſcilicet poſſit quis aſſentire, vel diſſentire? tertiò hæc reſponſio principium petit, ùt patet, nam quæritur an factis & judicatis præmiſſis poſſit intellectus ſe aliò vertere: quod probatum eſt, & Confirmatur: quia intellectus eſt participativè liber. Retroquent argumentum, etiam potentiæ ſenſitivæ per participationem ſunt liberæ, & tamen neceſſitantur ad actum ſecundum. Contra: primum eſt verum, alterum falſum, poſitô enim librô, ac lumine, poſſum tangere, vel non, videre, vel non, antequam objectum ſit potentiæ applicatum, nam ſuppoſitô actu ſecundô neceſſitatur conſequenter, Ergò à pari: deinde hi tres actus non tantùm ſeorſim conſiderati; ſed etiam in Darij: *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, & tertius, à quo abſtineo, ſunt realiter diſtincti, Ergò ſeparabiles.

Reſpondent, per accidens. C. per ſe. N. Contra: non tantùm impetu violentô, & caſu; ſed pro libertate à tertio abſtineo. Nec dicas calamô. C. mente. N. in me ſanè aliud experior, cum diſtractiones variæ incidant, me volente, & nolente.

Probatur ſecunda pars: poſitis his præmiſſis: *Omnis tollens libertatem cum pertinacia eſt hæreticus formalis*; *abſque pertinacia*

ma-

materialis; ſed omnis docens prædeterminationem phyſicam juxta bonos viros, eſt tollens libertatem, ſaltem abſque pertinacia, & ex amore Religionis, in qua docetur prædeterminatio: poſſum, non tantùm abſtinere ab hoc actu, *Ergò omnis docens prædeterminationem eſt hæreticus ſaltèm materialis*; ſed etiam cum impetu, imò prudenter dicere: *Ergò adhuc omnis docens, &c. non eſt;* vel ſaltèm prudentiſſimè me convertere ad diſcurſum diſparatum.

Reſpondent: poſſum hoc facere visâ bonitate conſequentiæ. N. hac non visâ. C. Contra: hac visâ poſſum cogitare, *Ergò diabolus ſuggeſſit fortè hanc concluſionem*: deinde ſi conſequentia explicitè deberet conſiderari, eò ipſò concluſio eſſet facta, debent ergò ſolæ præmiſſæ fieri, & velut bonæ approbari, ex quibus intellectus concluſionem advertens ſemiplenè ſequi, ex amoris vel odij, vel alio impetu ſe convertit ad oppoſitum, ergò concludo, licèt magìs neceſſitetur quoad ſpecificationem, quàm exercitium, non tamen in ſenſu abſoluto.

Obijcies: Cauſa naturalis poſitis omnibus ad agendum requiſitis neceſſariò agit,

N ſed

Logica P. Schopen.

ſed intellectus eſt cauſa naturalis, & præmiſſæ ſunt requiſita, ergò his poſitis neceſſitatur ad concluſionem quoad exercitiũ, & à potiori quoad ſpecificationem. Reſpondetur: Diſtinguendo Majorem, cauſa naturalis ſimpliciter: C. per participationem libera: N. ſic diſtincta Minore: N. Conſequentiam.

Inſtabis: Viſus eſt per participationem liber, & tamen poſitô cum proportione viſibili neceſſariò videt, ergò à pari. Reſpondetur 1. Negando Conſequentiam: quia intellectus eſt proximior voluntati viſu &c. 2. Diſtinguendo Antecedens: applicatione factâ: C. hac nondum factâ: N. v. g. ſi ponatur objectum viſibile, & voluntas non velit, ut videat oculus, eum claudit, & hoc præſertim valet de actibus non primis, qualis eſt concluſio; hinc etiam non valet paritas de electione mediorum, quia præmiſſæ ſunt priores concluſione.

Inſtabis: præmiſſæ applicant intellectum ad concluſionem, ergò velut ignis factâ applicatione ad ſtupam agit neceſſariò. Reſpondetur: Diſtinguendo Antecedens; velut *ex quo*, & cauſæ materiales, C. velut cauſa efficiens: N. ſed hæc ſolutio tantùm de objectivis tranſiret; unde

Inſtabis: præmiſſæ formales ſunt cauſæ effi-

efficientes concluſionis, ergo applicant intellectum velut cauſam naturalem neceſſariò inferentem. Reſpondetur præmiſſas eſſe cauſas efficientes *quibus*: C. *quæ* N. unde cùm intellectus ſit cauſa *quæ* per præmiſſas tendit in concluſionem.

Ex his reſponſionibus fieri ſolitis optima eſt, quòd intellectus ſit per participationem liber, & quòd agat naturaliter, niſi à voluntate directè vel indirectè impediatur, utrumque autem poteſt fieri præmiſſis poſitis, & certè eſt intellectus intimior viſu ac alijs: imò poſitô tangibili, & tactivâ potentiâ nec habetur tactus niſi in actu primo.

Inſtabis: ſaltem quoad ſpecificationem neceſſitatur, præſertim animadverſâ bonitate conſequentiæ. Reſpondeo: ordinariè tranſeat, adveniente impetu alterius potentiæ. N.

Inſtabis: non tantùm ordinariè applicant quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium, ergò licèt per accidens fieri poſſit, ut intellectus ceſſet, non tamen ſibi relictus; Antecedens urgetur à paritate de viſu; objectum enim præſens videtur, etiamſi quis non advertat ſe videre. Reſpondeo Negando Antecedens, cum paritate deſumpta ex fabrica intellectionis ad quam plura requiruntur, quàm

ad viſionem, interim poteſt voluntas imperare aliud, & ſic ad Sco. ac. Aug. Authoritates dico, tametſi Aug. aliud nolit, quàm falſa principia eſſe cauſas falſæ concluſionis.

QUÆSTIO II.

An quis eodem actu aſſentiat præmiſſis, & concluſioni?

DIco: nec in eodem inſtanti nec eodem actu poſſumus aſſentiri præmiſſis & concluſioni. Eſt Sco. q. 3. prologi & alibi contra Tho. ac RR. quos teſte Petronio præceſſit Ocham. Senſus duplex eſt; an dum aſſentio præmiſſis cogar & aſſentiri concluſioni? quod improbatum eſt; & an aſſentiens concluſioni reaſſentiat præmiſſis, cujus negativa reſolutio

Probatur primò: experientiâ conſtat quòd quis aſſentiatur propter præmiſſas antecedenter conceſſas, ergo non eodem actu quo concluſioni. Nec valet: vocetenus: C. mente: N. illi ſunt enim actus diſtincti, & concluſio velut dependens ſubſequitur præmiſſas mentales, niſi velint dicere adverſarij, quòd virtualiter repetantur præmiſſæ in concluſione.

Probatur ſecundò: ſi actus quo aſſentior concluſioni, etiam foret aſſenſus præmiſſarum, medium ingrederetur concluſionem,

ſionem, contra illud: *medium concluſio neſcit*.

Reſpondent ocyus Diſtinguendo ſequelam: ſi foret aſſenſus præmiſſarum *ùt quod*, hoc ſequeretur: C. ſi tantùm ùt *quo*: N. Contra: quando dicunt præmiſſas repeti in concluſione ùt *quo*, vel putant concluſionem ab his dependere, & hoc nemo negat, vel illam non poſſe elici niſi formaliter in eodem inſtanti cognoſcantur præmiſſæ, at hoc ſecundum eſt manifeſtè experientiæ contrarium, & ſequelam præfatam habet annexam. Confirmatur præmiſſæ objectivæ non includuntur formaliter in concluſione objectiva, ergò nec formales in formalibus: deindè, aliud eſt dicere quòd illatio bonæ conſequentiæ fiat unico inſtanti, ratione cujus reſpectûs præmiſſæ & conſequens ſunt extrema; aliud, an illi tres actus ad Syllogiſmum ſpectantes ſint ultimatè unus, niſi unitate finis, at formaliter ſunt diſtincti & ſeparabiles. Tandem credens myſterio revelato formaliter eodem actu non credit revelationi, hæc enim poteſt eſſe multiplex per exempla, per ſcripturas, per inſpirationes, ergò &c.

Reſpondent, & revelationi aſſentiri *ùt quo* ac directè, licèt non reflexè, ſic etiam præmiſſis. Contra: credens Trinitatem

quia revelata eſt, habet duplicem actum, ergò & aſſentiens concluſioni propter præmiſſas. Probatur Antecedens: credere Trinitatem poteſt aliquis propter fidem ex multiplici motivo, ergò hæc cauſalis licèt virtualiter actui fidei incluſa, formaliter eſt diſtincta: ſed ut hoc roboretur;

Obijcies: quando quis aſſentitur revelato, v. g. *Deum eſſe Trinum*, etiam aſſentit revelationi *ùt quò*; ergò dum quis præbet aſſenſum concluſioni, etiam præmiſſis, ùt quibus. Reſpondeo, Diſtinguendo Conſequens & Antecedens: ſi per illud *ùt quo* putes virtualiter: C. ſi formaliter: N. utrumque.

Inſtabis: formaliter per eundem actum aſſentitur quis revelato & revelationi, ergò &c. Probatur Antecedens: revelatio eſt ratio formalis credendi, ſed per eundem actum rationi formali *ùt quo* aſſentimur, per quem revelato, *ùt quòd*: ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens, & probationis Minorem; niſi *ùt quo* ſignificet virtualiter; cujus diſcordiæ judex eſt Dialectica docens propoſitionem compoſitam formaliter eſſe iſtam & ſimiles, *credo myſterio, quia eſt revelatum*; & ſi hoc omninò vellent adverſarij infringere, tranſeundo paritates, inferri dico, quòd conſequentia formalis, quæ eſt relatio inter præmiſ-

ſas

ſas & conſequens, ſit in inſtanti, quo terminativè ſimul ſunt extrema, at non eſt idem conſequentia & actus concluſionis, poſtremum enim dicit præter eam ipſum conſequens.

Inſtabis: non tantùm præmiſſæ ſunt terminus conſequentiæ, ſed etiam formaliter repetuntur in concluſione; ſicut unico actu poſſum ferri in lumen *ùt quo*, & colorem, *ùt quod*. Reſpondeo Negando Aſſumptum cum paritate: nam viſio eſt actus ſimplex, at Syllogiſmus conſtat pluribus actibus ſaltem materialiter ſumptus.

Inſtabis: viſio etiam materialiter ſumpta componitur ex objecto & potentia, & tamen formaliter eſt unicus actus, ergò ſimiliter de Syllogiſmo dicendum erit; Reſpondeo, præterquam quòd ſit multiplex diſparitas, cum Syllogiſmus includat plures actus, aliud non inferri quàm, quòd ſuprà dixi de relatione formali conſequentiæ, at nemo Adverſariorum audebit hanc cum actu confundere.

Inſtabis: intellectus poteſt plura eodem actu attingere, Ergò non tantùm conſequentia velut relatio oritur inſtantaneè ſed etiam ipſô concluſionis actu præmiſſæ repetuntur. Reſpondeo tranſeundo Antecedens: Diſtinguendo conſequens, ſi non rapugnaret ex ratione formali con-

cluſionis medium nolentis, tranſeat, ſtante hac repugnantiâ: N. Si dicas: quomodo ergò ille actus à judicio diſtinguitur? dico, quia dicit ordinem ad præmiſſas. Nec dicas; ergò Syllogiſmus foret aggregatum ex pluribus judicijs, eſt enim artificiale compoſitum in quo una pars dependet ab alia.

Colliges: multa conciliari poſſe inquirendo, an velint Adverſarij non poſſe intelligi conſequentiam ſinè præmiſſis, quod gratis do, & hinc etiam cùm concluſio præter conſequens importet conſequentiam, dicit ordinem ad præmiſſas, imò in virtute illarum ſequitur talis connexio ad conſequens, ſi tamen de his tribus actibus formalibus vel objectivis loquamur, ex quibus integratur Syllogiſmus, nullô modô unus formaliter includit alios.

QUÆSTIO III.

An Præmiſſæ ſint cauſæ efficientes concluſionis?

DIco: quanquam præmiſſæ ſub varijs reſpectibus poſſint diverſarum cauſarum rationem inducere, tamen principaliter ſunt cauſæ efficientes concluſionis. Probatur: præmiſſæ ſunt judicia debitô modô & figurâ facta, ſed talia judicia ſunt cauſæ efficientes concluſionis, Ergò &c.

Pro-

Probatur Minor: concluſio ab illis dependet, ijs aſſimilatur, & præmiſſæ in ea virtualiter continentur; ſed hæc ſunt ſigna cauſalitatis efficientis: Ergò &c.

Reſpondent aliqui: ex his ſequi eſſe cauſas efficientes impropriè, velut conditiones *ſinè quibus non* &c. C. propriè: N. Contra: non tantùm cauſa efficiens *quæ* dicitur propriè talis, ſed etiam *quâ*, id eſt virtus *per quam*; ſed eſtò intellectus habeat rationem cauſæ efficientis principalis *quæ*, præmiſſæ formales ad minus erunt illud, virtute quarum concluſionem infert, Ergò &c. Major declarabitur in Phyſica; Minor conſtat ex ſignis ſuprà allegatis. Confirmatur: objectum concurrit efficienter ad actum, quia illum determinat, ſed præmiſſæ formales determinant concluſionem, Ergò &c. Majorem ſuppono ex Animaſtica; Minor Probatur: quia ratio cur intellectus potius efformet concluſionem in *Darij*, quam *Celarent* v. g. ſunt præmiſſæ.

Reſpondent: præmiſſas determinare velut *ex quibus*, & in genere cauſæ materialis. C. effectivè. N. Contra: licèt hoc de objectivis dici poſſet, formales determinant velut virtus, *per quam* fit concluſio, utpotè quæ his aſſimilatur, Ergò, &c. Deinde etiamſi ſoleamus dicere: ex præmiſ-

N 5 ſis

ſis ſequitur concluſio; etiam dicimus, ex ſemine creſcit arbor, & tamen ſemen juxtà communiorem effectivè concurrit, ſicut arbor ad fructum: Ex quo patet objectivas poſſe dici cauſam materialem, & formales etiam licere referre ad formalem extrinſecam.

Obijcies I. vel eſſent cauſa univoca vel æquivoca, nihil videtur poſſe dici, Ergò, &c. Probatur Minor; non primum, concluſio enim ſæpè eſt diverſæ rationis v. g. una præmiſſarum eſt affirmativa; ipſa verò negativa; & ſæpè major eſt univerſalis, concluſio particularis; nec ſecundum, aliàs non aſſimilaretur præmiſſis. Reſpondeo, eſſe univocam, ad impugnationem dico, materialiter eſſe quandóque diverſam unam præmiſſam, at non formaliter; ſi enim præmiſſæ ſint benè diſpoſitæ, etiam ritè concluſio ſequitur, aliàs non: ita etiam dic, quando ſit præmiſſa ſupernaturalis v. g. *Chriſtus eſt homo, Ergò animal.*

Inſtabis: omnis cauſa particularis eſt æquivoca, ſed eſſent cauſa particularis, Ergò, &c. Reſpondeo Negando Majorem, ùt patet in igne indurante lutum, & liquefaciente ceram, poſſet & minor controverti.

Obijcies II. concluſio cauſatur quando præmiſſæ ampliùs non ſunt, Ergò non depen-

pendet ab ijs velut causâ efficiente. Probatur Antecedens; aliàs in eodem inſtanti eſſet aſſenſus præmiſſarum & concluſionis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: quando ampliùs non ſunt nec actu, nec in virtute. N. actu. C. dicuntur enim ideo *Præmiſſæ* formales, non *ſimultaneæ* formales, quod benè obſerva.

Inſtabis: poteſt haberi aſſenſus concluſionis, quando nec præmiſſæ ſunt ampliùs virtute, Ergò, &c. Probatur Antecedens: caſu quo quis recordaretur concluſionis ſinè præmiſſis. Reſpondeo tali caſu recordaretur tantùm concluſionis, quatenus propoſitio eſt, non verò reduplicativè, & formaliter ùt concluſionis, niſi ſaltèm præmiſſæ per ſpeciem impreſſam hærerent.

Inſtabis: licèt concluſio formaliter non poſſit eſſe ſinè aſſenſu præmiſſarum, per hoc non evincitur quòd ſint ſtrictè cauſa efficiens, ſed ſufficit dici conditiones. Probatur Aſſumptum; judicium nequit eſſe ſinè apprehenſione terminorum, & tamen hæc nequit dici cauſa efficiens judicij. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: per hoc ſolùm non evincitur tranſeat, junctis cæteris. N. ad probationem inquit Poncius oppoſitum deduci, nam magis dependet concluſio à præmiſſis, quàm judicium ab apprehenſione, Ergò cum hæc ſit conditio,

ditio, illæ cauſa erunt. Quod Confirmat Raymundus Orths dicens, diſcurſum non conſiſtere in hoc, quòd unum cognoſcatur per aliud, ſed cauſetur per aliud.

Obijcies III. unus actus intellectûs nequit producere alium, ſed præmiſſæ formales ſunt actus intellectûs, & etiam concluſio, ſaltèm conſequens, Ergò, &c. Reſpondeo Negando Majorem: vel dico, ùt cauſa principalis *qua* tranſeat, *quâ*. N. Majorem, & Conſequentiam.

DISPUTATIO IV.

De Demonſtratione.

DIxi in Logica docente demonſtrationem eſſe Syllogiſmum concludentem infallibiliter in materia neceſſaria; at quia eſt alia ſolemnis deſcriptio, eam hìc cum his confinibus materijs agitabo, præviè ſit.

QUÆSTIO I.

Quot ſint Præcognitiones, & Præcognita?

DIco: ad Demonſtrationem requiruntur duæ præcognitiones & tria præcognita. ita Sco. 1. poſt. cap. 4. & alij communiter, licèt in modo explicandi à pluribus differam. Senſus quæſtionis unum ſupponit, aliud diſcutit; *primum* eſt, quòd omnis

omnis cognitio intellectiva vel doctrinæ fiat ex præexiſtente cognitione, adSyllogiſmum enim prærequiritur cognitio præmiſſarum, ad propoſitionem ſimplex apprehenſio, ad hanc cognitio ſenſitiva, nihil eſt enim in intellectu quod non fuit aliquo modo in ſenſu, idque in omni facultate, quoniam, ait Sco. ci. dum intellectus perficitur aliquâ doctrinâ, ab imperfecto ad perfectum tranſit, Ergò obſcura cognitio prærequiritur: *alterum*, quod diſcutitur, eſt, an dum quis vult facere demonſtrationem, debeat habere præcognitiones, & præcognita, & quot utriuſque ſortis debeant in intellectu præcedere. circa quod

Probatur primò quòd debeant eſſe duæ præcognitiones: ut quis faciat demonſtrationem, debet cognoſcere *an ſit* quod demonſtratur, & *quid ſit*, de quo demonſtratur, Ergò prærequiruntur duæ cognitiones. Confirmatur communi conſenſu.

Reſpondent aliqui inſuper prærequiri, an præmiſſæ ſint veræ, quid ſit medius terminus, &c. Hinc Poncius putat poſſe plures admitti. Contra: hìc quæritur de præcognitionibus ſingulariter ad demonſtrationem requiſitis, illæ aſſignatæ plures, ad omnem bonum Syllogiſmum requiruntur, vel ſi de medio termino materialiter ſumpto intelligant, huc ſpectant, id eſt, ad iſtas duas

duas præcognitiones genericas *an ſit*, & *quid ſit*; vel dic medium terminum debere cognoſci præcognitione indiſtinctâ à prioribus.

Probatur ſecundò, quòd debeant eſſe tria præcognita: debet enim præcognoſci, *illud de quo* demonſtro, id eſt ſubjectum; & *illud quod* de ſubjecto demonſtro, & hoc eſt prædicatum; ac tandem *per quod* demonſtratur, & ſunt præmiſſæ quatenus demonſtrativæ, in quibus & medium cognoſcitur per præcognitiones genericas *an, & quid ſit.*

Objicies I. non requiruntur ad omnem notitiam intellectivam præcognitiones, Ergò id malè ſupponitur & fortè hinc nec ad demonſtrationem. Probatur Antecedens: ad prima principia non prærequiruntur, Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ad omnem notitiam diſcurſivam. N. non diſcurſivam tranſeat, ſic loquor quia ad prima principia prærequiritur ſaltem cognitio ſenſitiva.

Inſtabis: ad cognitionem ſenſitivam non requiritur alia præcedens, Ergò nec ad intellectivam. Probatur Conſequentia, nobiliùs eſt cognoſcere abſque præcognitione quàm per illam, ùt patet in Deo & Angelis. Reſpondeo actiones ſenſitivas vitales etiam habere, præcognitiones v. g. ut canis inſerviat domino, debet noſcere,

an,

an, & quis ſit dominus ejus, idem de Angelis teneo, Deus autem omni creaturâ perfectior eſt.

Inſtabis: ſi ad omnem doctrinam requiratur præcognitio, ad hanc alia, & ad illam rurſus uſque in infinitum. Reſpondeo, Negando ſequelam: nam propriè eas ad diſcurſivam doctrinam prærequiri ſuppono.

Inſtabis: neque requiruntur præcognitiones ad omnem doctrinam diſcurſivam, Ergò, &c. Probatur Antecedens: Ariſt. & Sco. eas tantùm ad demonſtrationem requirunt. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem diſtinguo: has determinatas. C. qualeſcunque. N. unde malè inquit Hermann has debuiſſe tractari ad Syllogiſmum ùt ſic, niſi ſe explicet de præcognitionibus præſcindendo quibus.

Objicies II. tot ſunt præcognitiones, quot quæſtiones, ſed ſunt quatuor quæſtiones, ſcilicet, *quid eſt, propter quid eſt, quia eſt, an eſt.* Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: quot ſunt quæſtiones eſſentiam conſiderantes. C. qualeſcunque extrinſecæ. N. Majorem, nam pro demonſtratione ſufficit ſcire, *an ſit,* & *quid ſit*, quò omnes reducuntur, quæ non ſunt extraneæ, velut *quare, &c.*

Inſtabis: ad demonſtrationem ſunt tria præ-

præcognita, Ergò & præcognitiones. Reſpondeo Negando Conſequentiam: omnia enim præſciuntur per *an ſit*, & *quid ſit*, illud, quod ſpecialiter ad demonſtrationem deſervit. Et ſi petas, quomodo cognoſci, dico quoad nomen & quoad rationem objectivam, id eſt, exiſtentiam metaphyſicam vel idealem, non Phyſicam, prout Maſius contra omnia Jura Philoſophandi perperam tuetur.

Quæres, an præmiſſæ debeant eſſe notiores concluſione? Reſpondeo affirmativè, loquens de concluſione formaliter ſumpta, hoc eſt, quatenus ex talibus præmiſſis illatâ, unde ſi concluſio eſſet propoſitio per ſe nota, vel aliunde notior, hoc ei non competit, ùt eſt concluſio, ſed ad ſummum ſpecificativè. Et ſi dicas, concluſio illa poteſt aliunde habere tantam, imò majórem evidentiam; quàm ex præmiſſis, dico hoc de illa materialiter ſpectata verificari, nunquam quatenus ex talibus præmiſſis deducitur.

QUÆSTIO II.

Quid? & Quotuplex ſit Demonſtratio?

DIco: Definitio Ariſtotelis 1. poſt. ex. 9. ſcilicet, quod demonſtratio ſit *Syllogiſmus conſtans præmiſſis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & cauſis concluſionis*: con-

convenit ſoli *demonſtrationi propter quid.* Ita Avicenna contra Averroëm, & omnes modernos qui duplicem demonſtrationem admittunt, *potiſſimam* id eſt *propter quid*, & *quia* : quibus aliqui cum Themiſtio addunt demonſtrationem àb æquali, id eſt ab effectu ad effectum, vel prout alij ex principijs artis Lullianæ eam deſcribunt. Verùm hos omnes facilè ſpero conciliare per hanc conelusionem, ſic in nullo Authore, vel ſcripto à me viſam : ſentio quippè, quòd illæ duæ ſpecies principales, imò & reliquæ admitti poſſint, prout demonſtratio definitur : *Syllogiſmus faciens ſcire*; vel; *concludens infallibiliter in materia neceſſaria*, prout tamen exactè l c. ab Ariſtotele deſcribitur, eſt duntaxat unica, priores partes ſuppono, hoc ultimum

Probatur: demonſtratio *quia*, vel ab effectu, vel à poſteriori (quod idem ſonat) non conſtat præmiſſis immediatis, primis, prioribus, notioribus, Ergò hæc definitio illi non convenit, minùs alijs, v. g. demonſtrationi ab æquali, vel Lullianæ; Antecedens nec egeret probatione, ut autem intelligatur

Explico cum communi: Dicitur primò, *Syllogiſmus*, quod eſt genus proximum, reliqua locò differentiæ non tantùm in ordine

ne ad argumentationes imperfectas, Syllogiſmnm malum, ſed etiam topicum; imò & in ordine ad ſeparandas alias minores demonſtrationes; Dicitur ſecundò, *conſtans præmiſſis veris*, nam per demonſtrationem ſcientia acquiritur, ſed hæc nequit cauſari à falſo principio, Ergò &c. Dicitur tertiò *primis*, per quod Ariſt. inſinuat quòd præmiſſæ debeant eſſe factæ, ex prædicato eſſentialiter competenti ſubjecto, pro medio termino; hinc additur: *immediatis*, hoc eſt, ut effectus, qui demonſtratur, ſit paſſio quartô modô, immediatè pullulans ab eſſentia. Dicitur inſuper, *prioribus*, per quod inſinuatur, licèt talis effectus ſit cum cauſa in eodem inſtanti temporis, naturâ tamen præcedere cauſam; ſicut prior eſt rationalitas riſibilitate: Dicitur adhuc *notioribus*, juxta illud *propter quod unumquodque eſt tale, illud eſt magis tale*, & *ex æquè obſcuro nequit generari perfectio ſcientifica*: Dicitur tandem: *cauſiſque concluſionis*, ùt omnes præmiſſæ, & ſignatè in demonſtratione materialiter ſumpta.

Reſpondent Compendiatores Maſtrij, at non ex ipſo, demonſtrationem *quia* non habere præmiſſas immediatas formaliter: C. virtualiter: N. & dicunt primas, & immediatas eſſe idem; quod falſum monſtrat explicatio facta; deindè Contra: ſic arguo:

arguo: præmiſſæ demonſtrationis *quia* ſunt poſteriores, mediatæ, ſunt ſecundariæ ex Sco. q. 2. univerſ. & omnis bonus Scotiſta vocat paſſiones, modos dicendi per ſe ſecundarios, imò hac ratione explicitè dicitur demonſtratio à poſteriori.

Reſpondet Maſtrius Diſtinguendo Conſequens: ergò demonſtrationi *quia* non convenit: C. ergò demonſtratio *quia* abſolutè nequit dici demonſtratio: N. & hoc ex ipſo Hermann compendiavit per exemplum de accidente, quod in ſe ſimpliciter eſt ens, licèt non comparatum ſubſtantiæ. Contra: hoc quidem doctiùs dicitur, vel volunt demonſtrationem *quia* dici demonſtrationem cui conveniat hæc definitio, vel non; ſi ſecundum, coincidimus; ſi primum, nullatenus valet comparatio, nam ens ex Sco. eſt univocum ad illa duo membra, non autem hæc definitio ad demonſtrationem *quia*, & *à priori*.

Reſpondent alij: illam à poſteriori eſſe minùs rigoroſam, ſed hoc, & plus admitto, nolo tamen in ordine ad definitionem in concluſione poſitam.

Obijcies I. In hac definitione eſſe ſuperflua, *prioribus*, *primis* &c. per *cauſis* enim hæc dantur intelligi. Reſpondetur ab aliquibus eſſe deſcriptionem; ſed malè, eſt enim una exactiſſimarum, quas fecit Ari-

 ſto-

ſtoteles, Nego ergò has formalitates ita conſpicuè intelligi per cauſas, confusè tranſeat, neque enim de omnibus adhuc verum eſſet: lege explicationem.

Obijcies II. Sco. qdl. 7. & alij admittunt duas ſpecies demonſtrationis, *propter quid*, & *quia*. Ergò hæc definitio utrique convenit. Reſpondeo Negando Conſequentiam, vel Diſtinguo Antecedens, juxtà definitiones genericas demonſtrationis: C. in ordine ad hanc: N. antecedens. Si petas, an ergò illa à poſteriori debeat dici propria, vel impropria?

Reſpondeo propriam, imò omnes, dummodò ſint boni Syllogiſmi in materia neceſſaria, licèt una præ cæteris accidentaliter differat, v. g. meliùs à riſibilltate ad rationalitatem, quàm ad admirabilitatem pergitur.

Colliges: in demonſtratione *à priori*, medium terminum debere eſſe definitionem ſubjecti, de quo demonſtratur paſſio in quarto modo. Si petas an tota definitio? dico ſi tota eſt, vocari *potiſſimam*, ſufficere tamen prædicatum genericum, vel differentiale: in demonſtratione verò *quia* medium terminum debere eſſe paſſionem; vel effectum, velut proprietatem radicatum, ſicut demonſtratur Lunæ ineſſe ecclypſin ob interpoſitionem terræ.

Quæ-

Quæres, utrum detur Regreſſus? Reſpondeo affirmativè, contra nonnullos, qui vel regreſſum omninò negant, vel inutilem putant: intelligitur autem per regreſſum argumentatio, in qua ex præmiſſis infertur concluſio, & ex illa concluſione dum rurſus ſumitur locò præmiſſæ, alia concluſio generatur, v. g. *omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis*, ergò *omnis homo eſt riſibilis*, deinde ſic regredior, *omnis homo eſt riſibilis, omne rationale eſt homo, ergò omne rationale eſt riſibile* : utilitas hujus eſt iſta, cùm ſæpè neſcitur, quid ſit res, ſic gradatim per effectus ad cauſam pertingitur, & hinc licèt præmiſſæ in demonſtratione à priori ſint notiores, tamen per regreſſum confirmatur intentum: porrò ut candidè agam, me explico quòd putem, regreſſum eſſe utilem, ſi cauſa eſt ignota, & in ejus notitiam veniatur per paſſiones vel effectus, tunc inquam regreſſus per cauſam ad effectum non eſt inutilis; ſi verò arguatur per cauſam ad effectum primò, & deinde rurſus per effectum probetur cauſa, parvi facio regreſſum. Hìc etiam quæri ſolet quid ſit circulus? Reſpondeo: quòd ſit argumentatio vitioſa ab uno ad idem, & ab illo rurſus ad idem, eôdem modö; cui generi utpote vitioſo non placet immorari.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Propoſitio per ſe nota?

DIco: Propoſitio per ſe nota benè definitur: quòd ſit illa, *quæ ex terminis confuſè cognitis eſt evidens.* Colligitur ex Sco. in 1. d. 2. q. 1. contra Thomiſtas, qui definiunt illam ſic; quòd ſit illa, *in qua prædicatum includitur in ratione ſubjecti*: noſtra concluſio ſic Explicatur; quando quis audit propoſitionem aliquam, v. g. *quatuor non ſunt ſex*; & intelligit tantùm confuſè terminos, id eſt, ſi tantùm ſciat, quid ſignificent, talis ſi nullâ amplius indigeat informatione ac probatione ad aſſentiendum rationabiliter auditæ propoſitioni, dicitur audire propoſitionem per ſe notam, id eſt quæ præter ſenſitivam ſui cognitionem, ac terminorum apprehenſionem pro ſui intelligentia aliam deductionem non requirit. Ex quo

Probatur: illa definitio habet quidquid regulæ dialecticæ præſcribunt ad benè definiendum, Ergò bona eſt. Antecedens patebit examinanti ſingulas.

Reſpondent Thomiſtæ; propoſitionem per ſe notam eſſe duplicem, *quoad ſe*, & *quoad nos*, *vel nobis*, ſecundô modô ſumptam benè definiri: C. primô modô: N. Contra: hæc diviſio nihil valet, Ergò &c.

Pro-

Probatur Antecedens: diviſio debet fieri per membra oppoſita, atqui hoc non fit in allata diviſione, Ergò &c. Probatur Minor: vel enim illa propoſitio, quam vocant Thomiſtæ notam *quoad ſe*, eſt nota alicui potentiæ dum auditur, vel non; ſi ſecundum, omnem obſcuram quantâcunq; explicatione & probatione indigeat, per ſe notam appellare licebit; ſi primum, ergò prior in ſecunda includitur, ergò non opponuntur.

Reſpondent: illam, quam vocant notam *quoad ſe*, eſſe potentiæ notam in actu primo. C. in actu ſecundo: N. Contra: omnis propoſitio ignota in actu primo eſt alicui potentiæ nota, licèt una propinquiùs alterâ; deinde vel illa nota *quoad ſe*, dum auditur, indiget reſpectu cognoſcentis confusè terminos probatione, vel non, ſi primum manifeſtè eſt ignota; ſi ſecundum actu alicui potentiæ erit nota.

Reſpondent alij: definitionem Scoti convenire propoſitioni per ſe notæ omnibus. C. ſolis ſapientibus: N. Contra: neq; hæc diviſio placet: Probatur aſſumptum: vel per non ſapientes intelligunt neſcientes confuſè terminos, ùt ſunt pueri, idiotæ &c. vel intelligentes confuſè terminos, id eſt, quid propriè ſignificent; ſi primum, nihil contra nos; ſi ſecundum, quæcunque

 talis

talis probatione indiget, & eſt ignota, vel nullâ indiget, & eò ipſò potentiæ eſt perſpecta.

Confirmatur; definitio Thomiſtarum nec convenit omni, nec abundè definitum explicat, ergò iſta prævalet. Antecedens declaratur; iſtæ enim ſunt propoſitiones per ſe notæ; *totum eſt majus ſuâ parte, quodlibet eſt, vel non eſt, quatuor non ſunt octo*; atqui in his prædicatum non eſt de eſſentia ſubjecti, nam negatio *octo*, etiam convenit ſex, ergò non eſt eſſentia quatuor.

Colliges: non eſſe idem, *propoſitionem per ſe notam*, ac *immediatam*, ſiquidem prima auditis & confuſè cognitis terminis (præſcindendo ab omni æquivocatione) prorſus nullâ inſtructione, aut probatione opus habet, ſivè ſit immediata, ùt hæc: *Totum eſt majus ſuâ parte*, ſivè ſit mediata, ùt iſta, *vas totum continet plus, quàm medium*: immediata verò ſæpè à poſteriori deducitur, ùt fit, quando neſcitur cauſa, niſi per effectum agnoſcatur, hinc ſi immediata ſubindè probatione non eget, hoc eſt de ea materialiter intelligendum, convenit enim illi quà per ſe notæ.

Obijcies: Propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ ex diſtincta terminorum cognitione ùt evidens agnoſcitur, ſed hoc nequit fieri, niſi per definitionem vel rationem formalem

malem ſubjecti, ergò &c. Reſpondeo Negando Majorem, vel Diſtinguo: ex diſtincta cognitione quoad nomen fit evidens absque probatione. C. quoad rem & velut per inſtructionem: N. pro quo adverte hìc, & ubique ſi feratur alia definitio in re coincidens, ſemper eſt acceptanda.

Inſtabis: hæc propoſitio eſt per ſe nota, *homo eſt animal rationale*; ſed hìc prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, & eſt evidens per inſtructionem, Ergò &c. Reſpondeo tranſeundo Majorem; Negando ſecundam partem Minoris, ſuppoſitô quòd ſit per ſe nota, primam verò partem Minoris Diſtinguo: & ideò eſt per ſe nota: N. & hoc ſe habet per accidens, ſicut etiam quòd quandoque ſit immediata. C. ſed nihil infertur; hæc enim à potiori eſſet per ſe nota: *homo non eſt lapis*, & tamen negatio lapidis non eſt conſtitutiva hominis, aliàs & lignum eſſet homo: an autem ſit per ſe notum, *quòd ſit Deus* ſuô locô dicetur.

DISPUTATIO V.

De Scientia.

Effectus nobiliſſimi Syllogiſmi ſcilicet Demonſtrationis eſt ſcientia, quam pro fœlici complemento tam Docentis

quàm Utentis perſtringemus, ut eò tutiùs mens noſtra in facultatibus ſcientificis deinceps procedat. ſit

QUÆSTIO I.
An? & quid ſit Scientia?

DIco de facto dari ſcientiam acquiſitam, quæ benè Definitur: *cognitio certa, & evidens de objecto neceſſario per demonſtrationem acquiſita.* Ita communiter Peripatetici; concluſio autem habet tres partes ſic declarandas. Dicitur *primò*, quòd ſcientia ſit *cognitio certa & evidens, &c.* quod de actuali intellige, nam habitualis eſt habitus proveniens ex cognitione certa, &c. & in hoc paſſim conveniunt Philoſophi. Dicitur *ſecundò* quod *detur ſcientia*; & hoc quoque communiter tenetur adverſus Heraclitum & alios veteres; Tertia pars eſt, quod defacto detur ſcientia acquiſita, id eſt, quod ſtudiô ac operâ acquiramus ſcientiam, contra Platonicos ac Academicos, qui citantur docuiſſe, animas eſſe creatas ante corpora, & poſteà propter peccatum conjunctas corporibus, adeóque tantùm reminiſcentiam priorum dari, hanc ſententiam, excepto errore, quòd animæ ſint ante corpora creatæ, nuper defendit Lalemandet, docens ſcientiam eſſe probabiliùs habitum infuſum; ego verò judico nemi-

nem

nem ex modernis Philoſophis debitè poſſe tueri, quòd detur ſcientia, niſi Ideas Platonis admittat, ùt ſingulatim in Phyſicæ prologo, ac ubi de alijs ſcientijs tractabo, oſtendam. nunc

Probatur prima pars: illa definitio convenit omni & ſoli ſcientiæ ſtrictè acceptæ, Ergò, &c. Probatur Antecedens ex Sco. in 3. d. 14. q. 1. ubi dicit, impropriè vocari ſcientiam talem actum, quo quis judicat propoſitionem eſſe veram vel falſam: item cognitiones certas, & evidentes, ſi non ſint per demonſtrationem deductæ, ſic enim ſunt vel habitus primorum principiorum, vel proproſitiones per ſe notæ; tandem hic eſt quæſtio de ſcientia diſcurſiva, ergò ſola per demonſtrationem poſſeſſa, ita ut illa per demonſtrationem *propter quid* ſit perfectiſſima, reliquarum verò demonſtrationum concluſiones ſunt quoq; propriæ ſcientiæ.

Probatur ſecunda, & tertia pars ſimul: experientiâ patet quòd ea, quæ ante aliquot annos non ſcivimus, modò juxtà regulas docentis ſciamus deducere ex præmiſſis certis, ac evidentibus, Ergò in nobis eſt ſcientia actualis, & habitualis. Confirmatur: vel Adverſarij ſciunt perfectè non dari ſcientiam, vel non ſciunt, ſi ſecùndum, cur ijs credemus, ſi primum, Ergò habent

ſci-

ſcientiam. Nec dicas,te ſcire velut primorum principiorum habitu non dari ſcientiam; Contra eſt diſſenſus non convictorum.

Reſpondent:quòd ſciamus per habitum infuſum nobis ab initio creationis. C. acquiſitum. N. Contra: eſt error in fide, docere animas eſſe creatas ante corpora; deinde contra modernos ſic arguo, vel divinant talem habitum eſſe infuſum, vel hoc ſciunt; ſi primum, cur ijs credemus? Si ſecundum, fundamentum ab authoritate ac ratione aſſignent: deinde hoc ſpeciale fuit in Chriſto: item Deus & natura non agunt fruſtrà,ad quid ergò ille habitus tanto tempore in parvulis? quòd autem unus præ alio ad hanc vel illam inclinet, oritur ex temperamento, miror Lalemandetum quòd huic opinioni adhæſerit tam levibus motivis ductus.

Confirmatur: niſi habitum cum potentia quis confunderet, cur ſtudium ac laborem noſtrum diceret eſſe ſolam excitationem habitûs ſcientifici? ſaniùs diceret aliquis,quòd ſub actuali labore Deus habitum ſcientiæ infundat, ſed nec illud demonſtraret.

Obijcies I. contra primam partem: Dantur multæ ſcientiæ,quæ non ſunt per demonſtrationem acquiſitæ, Ergò &c. Ante-

tecedens patet in his certis ac evidentibus judicijs, *duo non ſunt tria*; *totum eſt majus parte*. Reſpondeo: hæc & ſimilia eſſe ſcientias impropriè dictas, non diſcurſivas.

Inſtabis: neque omnis ſcientia diſcurſiva eſt per demonſtrationem deducta, ùt patet in concluſione ab effectu vel poſteriori. Rèſpondeo, Negando Aſſumptum, cum probatione; nam licèt non ſit adeo perfecta, verè tamen à poſteriori datur demonſtratio, conſequenter & effectus, id eſt ſcientia.

Inſtabis: Syllogiſmi probabiles etiam generant ſcientiam, Ergò non ſola demonſtratio. Probatur Antecedens: aliàs Logica non eſſet ſcientia in materia topica. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: quoad formam. C. quoad materiam. N. unde Utens in materia probabili eſt ſcientia ex parte formæ, & quia agit de Ideis rerum quoad exiſtentiam contingentium, completè ſcientia eſt, ſicut docens ſciendi modus.

Obijcies II. contra duas ultimas partes: Si ſcientiam acquireremus, vel fieret per ſenſus, vel ope Magiſtri, nihil dici poteſt, Ergò, &c. Probatur Minor; non primum, quia ſenſus ſunt fallaces, verſantur circa ſingularia, contingentia, &c. neque ſecundum, quia Magiſter mentem alterius innovare

vare non poteſt, Ergò, &c. Reſpondeo: utroque modò inſtrumentaliter; at principaliter per intellectum cognoſcentem, & mediantibus ſenſibus cognita ponderantem judicando, ac inferendo, naſci ſcientiam.

Inſtabis: vel intellectus antecedenter ſcivit id, cujus ſcientiam acquirit, vel non? ſi primum, erit ſola reminiſcentia; ſi ſecundum, fruſtrà quærit, ſicut qui canem quæreret, quem non noſceret. Reſpondeo: quòd antecedenter ſciverit confusè. C. diſtinctè. N. nec valet paritas, nam canis ſeipſum non proderet, objectum verò debitè proportionatum cum intellectu utpotè potentia naturali parit notitiam, præſertim ſi actus illi ſint imperati ad noſcendum illud.

Inſtabis: nec poſſumus acquirere ſcientiam de ijs, quæ antecedenter fuerunt confusè cognita, Ergò ſolutio ruit. Probatur Antecedens: illa enim utique fuerunt in ſenſu, nihil enim in intellectu, quin prius in ſenſu, ſed de his quæ fuerunt in ſenſu non datur ſcientia, cum ſint ſingularia & contingentia. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem diſtinguo: illa quæ fuerunt in ſenſu ſunt ſingularia, & contingentia quoad exiſtentiam. C. quoad Ideam vel eſſentiam. N. Minorem, & Conſequentiam.

In-

Inſtabis: majorem notitiam acquirere, non eſt de novo habitum ſcientiæ acquirere, ſed illa quæ per ſenſus confusè cognoſcimus licèt quoad eſſentiam ſint neceſſaria, poſtea clariùs percipimus, ergò verè de novo nihil ſcimus, ſed priores ſpecies excitamus. Reſpondeo Diſtinguengo Majorem: acquirere majorem notitiam numericam non eſt, &c. C. Specificam. N. Majorem; ſic diſtinctâ Minore, nego Conſequentiam, & ſuppoſitum, quod animabus ab initio tales ſpecies præter potentiam infundantur, nam licèt Angelis aliquæ ſint concreatæ, tamen plures etiam à materialibus deſumunt, ſed hoc hominibus concedi nequit, niſi Deus ſingulariter vellet parvulo aſtutiam dare.

Inſtabis: idem eſt habitus primorum principiorum, & concluſionis ſcientificæ, ſed ab initio datur homini lumen naturale prima principia cognoſcendi, &c. Reſpondeo primò Diſtinguendo Majorem: radicaliter. C. nam intellectus eſt potentia activa, & paſſiva reſpectu principiorum æquè ac concluſionis: formaliter. N. Majorem ſic diſtinctâ Minore. N. Conſequentiam; cæterùm ruſtici habent habitum cognoſcendi prima principia lumine naturæ nota, non verò juxta regulas artificiales inferendi concluſionem, ex quo habes Majorem eſſe falſam. QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Scientia actualis poſſit eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem objecto formali cum Fide, & Opinione?

DIco: Actus ſcientiæ & opinionis non poteſt eſſe ſemel & ſimul in eodem intellectu de eodem objecto formali, ita Sco. in 3. d. 24. & tenetur permiſcuè in omni Schola, ab affirmantibus tamen plerumque confunditur cum quæſtione ſequenti.

Præmittendum eſt, quid ſit fides ac opinio: Fides dicitur *aſſenſus rei propter revelationem*; ſi revelatio eſt à Deo, dicitur fides divina; ſi ab homine, humana. Opinio autem definitur: *Judicium ex motivo probabili cum formidine de oppoſito*, quæ formido aliquando eſt *actualis*, & contingit, cùm quis habet opinionem conjunctam ſuſpicioni, an res ſe ita habeat; aliquando *virtualis* vel *radicalis*; & eſt, quotieſcunque ex motivo non certo judicat, quòd ſi reflecteret ſe, agnoſceret hoc judicium non eſſe evidens, v.g. ſi quis judicat, *omnis mater diligit filium, &c.* his præmiſſis.

Probatur concluſio; actus ſcientiæ eſt concluſio deducta ex præmiſſis certis & evidentibus, ſed ex ijſdem nequit generari fides vel opinio, ergò circa idem objectum formale nequit eſſe in eodem intellectu ſimul

mul fides, & ſcientia. Confirmatur: etiamſi ſucceſſivè fieret circa idem objectum materiale, tamen ſub eodenm motivo nequit habere intellectus hos actus.

Reſpondent aliqui: ſcientiam non accipi ita ſtrictè, ſed pro evidenti propoſitione, vel certa; deinde non quæri an intellectus ſimul duos actus poſſit habere; ſed hoc ſuppoſitô, an ex natura ſcientiæ, & opinionis repugnent. Contra: hoc etiam ſuppoſitô, talis ſcientia nequit jungi cum fide, & opinione de eodem objecto formali: idem actus nequit eſſe ſcientificus, & non ſcientificus ſub eodem motivo, ſivè *non ſcientificus* ſumatur poſitivè, ſivè negativè, Ergò nec de eodem objecto formali poteſt haberi ſcientia, & opinio. Nec dicas, eſſent duo actus. Contra: ſaltem idem intellectus ſub eodem motivo eſſet certus & incertus. Confirmatur: fides eſt ob revelationem, ſcientia ob evidentiam, Ergò nunquam poteſt eſſe idem motivum fidei & ſcientiæ, conſequenter nec objectum *formale*, quod cum motivo eſt idem.

Reſpondent alij: non poſſe eſſe in eodem intellectu naturaliter: C. ſupernaturaliter: N. Contra: neque ſupernaturaliter motivum fidei eſt idem quod motivum ſcientiæ, hæc motiva enim diverſa eſſe, eſt

propoſitio æternæ veritatis, unde credide-rim concluſionem hoc ſenſu propoſitam debere eſſe communem. Si dicas, quæſtionem ſic intelligi: ſuppoſitô quòd plures actus poſſint eſſe in eodem intellectu, an circa idem objectum poſſit eſſe ſimul fides ex motivo fidei, ſcientia ex motivo ſcientiæ: Reſpondeo hoc non eſſe de eodem objecto formali, ſed materiali, de quo dicam quæſtione ſequenti, hìc duntaxat explicui, quomodo præſumant illi loqui, qui de *formali* explicitè ponunt, vel *materiali* omittunt. Interim

Quæres primò, an detur habitus primorum principiorum à potentia intellectiva diſtinctus? Reſpondeo affirmativè, & quidem in tempore à multis acquiritur, per frequentatos actus. Probatur: habitus generantur ex frequentatis actibus, ſed intellectus poteſt frequentare prima principia, Ergò ex ijs generatur habitus. Minor patet experientiâ, aliquis enim poteſt ſæpè ruminare hæc & ſimilia, *quodlibet eſt, vel non eſt, totum eſt majus ſuâ parte, &c.* Confirmatur: nam inter quinque habitus principales in prologo citatos, eſt quoque habitus primorum principiorum, idque non ſolum debet concedi de principijs generaliſſimis, ſed etiam primis principijs determinatæ ſcientiæ, ſi quæ dantur hujuſmodi. Nec di-

dicas potentiam intellectivam fore otioſam, ſi ſeipſam non poſſet determinare ad cognitionem ſimilium principiorum; hoc verum eſſet, ſi abſolutè habitus requireretur, jam verò datur tantùm ad faciliùs operandum, eſt autem indubitatum, quòd bonus Metaphyſicus expeditùs prima principia penetret, quàm ruſticus, etiamſi haberent intellectum parem, dummodo unus cum per actus tales exercitâſſet, alter non.

Quæres ſecundò, quid ſit ſcientia ſubalternans & ſubalternata? Reſpondeo, primam eſſe illam, quæ continet ſub ſe aliam; contenta verò dicitur ſubalternata, quia verò talis ſubalternatio poteſt contingere vel ex parte finis extrinſeci, vel intrinſeci, vel etiam principiorum; communiter requiruntur ad propriam ſubalternationem ſequentes conditiones. *Prima*, ut concluſiones ſubalternantis ſint principia ſubalternatæ, ſicut concluſiones Phyſicæ Scholaſticæ, ſunt principia Medicæ; unde illud: *ubi deſinit Phyſicus, incipit Medicus. Secunda*, ut objectum ſubalternatæ contineatur ſub objecto ſubalternantis, & ſuperaddat differentiam aliquam, ùt alij loquuntur, accidentalem; ſed ſinè argumentis hic & nunc intelligendum puto ad minus accidentalem, & quidem per modum pro-

prietatis; cæterùm nec obeſſet ſpecifica, ſicut Phyſica Scholaſtica reſpectu Philoſophiæ naturalis ùt ſic, & reſpectu Scholaſticæ, aliæ ſubordinatæ v. g. Medica plurimas proprietates corpori naturali quà objectum Scholaſticæ ponitur inconvenientes, ſic etiam de *tertia* diſputari poſſet, an ſufficiat eſſe concluſiones ſubalternantis, principia ſubalternatæ, an verò & evidentia requiratur.

QUÆSTIO III.

An Scientia, Fides, & Opinio poſſint ſtare in eodem intellectu circa idem objectum materiale?

DIco: Scientia habitualis, imò & actualis, cum fide & opinione poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu circa idem objectum materiale, vel concluſionem materialiter ſumptam, nam quæſtio verſatur de objecto complexo. Ita D. Bonaventura in 3. d. 24. art. 1. & RR. plurimi contra varios Thomiſtas ac Scotiſtas, quorum aliqui dicunt naturaliter non poſſe fieri, alij nec ſupernaturaliter; imò poſſe: Scotus pro contraria ſententia citatur; ſed loquitur de opinione cum formidine actuali, nos verò de opinione magis genericè ſumpta, prout eſt aſſenſus ex motivo probabili, & de fide quæ eſt aſſenſus ex revelatione.

Pro-

Probatur: hæc concluſio vel hoc objectum complexum, *ergò Deus eſt exiſtens*, poteſt cognoſci demonſtrativè, per fidem, & opinionem ab eodem intellectu, ergò ſcientia &c. poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu, de eodem objecto materiali. Probatur Antecedens: ſi quis demonſtret exiſtentiam Dei, poteſt addere congruentiam, & jungere authoritates Philoſophorum, Ergò &c. hoc Antecedens patet ex conſuetudine, & praxi in ſcholaſticis.

Reſpondent Diſtinguendo Antecedens: ſi medium demonſtrativum imperfectè vel confuſè cognoſcatur: C. ſi perfectè, N. Contra *primò*; poteſt intellectus primò authoritate ſancire hoc objectum, *ergò Deus eſt;* deinde congruentijs; tamen & demonſtrare; *ſecundo* perfectè ex creaturis demonſtratur exiſtentia Dei, creditur quoque, & confirmatur judicio Ethnicorum Philoſophorum.

Reſpondent: ita ut fides ac opinio præcedant velut diſpoſitio: C. ita ut formaliter cohæreant: N. Contra: utroque modo immediatè ſuprà declaravi.

Reſpondent alij: de fide ſupernaturali. C. naturali: N. alij poſſe fieri ſupernaturaliter. C. naturaliter: N. Contra hos & illos eôdem modô proceditur: nec afferri poteſt implicantia ulla, Ergò &c.

Obijcies I. Fides eſt argumentum rerum non apparentium ad Hebr. 9. & ex S. Aug. Tract. 40. in Joannem, & ex alijs, ergò nequit ſtare cum ſcientia. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens: de eodem obiecto formali, hoc eſt ſub eodem motivo. C. ſub diverſo: N. fortè & benè diceres, ut fides ſit meritoria, non poſſe, vel potiùs non debere ſtare cum ſcientia, ſimpliciter enim credens plus meretur, quàm videns & credens, unde ipſa Veritas: Thoma *quia vidiſti credidiſti, beati qui crediderunt, & non viderunt*, ex quo patet idem poſſe credi, & videri.

Inſtabis: illa non eſſet dicenda fides, ſi adeſſet ſcientia, licèt ſub alio motivo. Probatur Antecedens: ad Corinth. 13. *cùm venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*, ergo adveniente ſcientiâ, ceſſabit fides. Reſpondeo Negando Antecedens, & probationis Conſequentiam: vult tantùm Paulus dicere in beatitudine cæleſti ceſſare fidem ænigmaticam, & meritum ceſſare adveniente ſcientiâ.

Inſtabis: neque fides cum vel abſque merito poteſt eſſe cum ſcientia; fides enim tendit in illud quod non vides. Reſpondeo ùt priùs, tendit in illud, quod non vides ſub eodem motivo. C. ſub diverſo: N. reliquas inſtantias objectione ſequenti ſolvam utrinque de fide & opinione. Obij-

Obijcies II. Lux & tenebræ, amor & odium non poſſunt eſſe ſimul ſaltem naturaliter in eodem ſubjecto, ergò nec ſcientia fides & opinio, quia prioribus comparari ſolent. Reſpondeo Negando Conſequentiam; ad probationem dico, his comparari ſecundùm quid tranſeat, ſimpliciter: N. nam opinio reſpectu ſcientiæ ſe habet ùt lux minor reſpectu majoris, non verò ùt privatio.

Inſtabis: opinio adæquatè comparatur tenebris reſpectu ſcientiæ lucis, Ergò &c. Probatur Antecedens: quod ex natura ſua obſcurum, incertum, & inevidens eſt, hoc habet annexam privationem lucis, evidentiæ &c. ſed, Ergò. Reſpondeo Negando Antecedens, probationis Majorem Diſtinguo: quod eſt obſcurum poſitivè, vel per receſſum. C. quod tantùm negativè & per acceſſum: N. Majorem, nam ſic etiam Luna eſt obſcura reſpectu ſolis, ſic diſtinctâ Minore: N. Conſequentiam.

Inſtabis: opinio abſolutè poſitivè ſi non formaliter, ſaltem concomitanter dicit carentiam evidentiæ, ergò non poteſt ſtare cum ſcientia. Probatur Antecedens: opinio ex natura ſua dicit formidinem, ergò carentiam perfectæ evidentiæ. Reſpondeo Negándo Antecedens: imò iſta

duo poſitivè, & concomitanter hìc ſibi contradicunt; probationem diſtinguo: opinio ſumpta genericè pro aſſenſu ex motivo probabili: N. ſumpta magìs ſpecificè, ſubdiſtinguo, vel actualem, vel radicalem: C. ſemper actualem: N. recolendum eſt quod dixi, me loqui de opinione generaliùs ſumpta.

Inſtabis: nec opinio quà aſſenſus genericus ex motivo probabili poteſt ſtare cum ſcientia: Probatur aſſumptum; talis intellectus eſſet certus & incertus, Ergò &c. Reſpondeo: quòd eſſet certus reſpectu motivi ſcientifici: C. incertus reſpectu probabilis, non quidem negativè, ſed tantùm poſitivè, ſicut Luna eſt obſcura reſpectu ſolis.

Inſtabis: Luna vel candela ſplendente ſole nihil ſervit, ergò nec opinio vel fides juvaret potentiam ſcientem. Reſpondeo, Negando Antecedens: eſt enim ob decorem ſæpè Luna micante ſole, imò ille habitùs, vel actus opinativus prodeſſet, ut voluntas imperet omni modô poſſibili corroborare objecti veritatem.

Inſtabis: opinio ſpecificè ſumpta nequit cohærere ſcientiæ, ergò nec aſſenſus ex motivo probabili, quia utrinque eſt negativà obſcuritas, & carentia poſitivæ evidentiæ. Reſpondeo Negando Conſequen-

quentiam: prior enim actualẽ formidinem jungit; vel ſi putes hanc non obeſſe, contentior ero, ſed malo genericæ ſubſcribere.

Inſtabis: ſaltem naturaliter non poſſunt eſſe ſimul. Probatur aſſumptum: quia ſe invicem expellunt evidentia & inevidentia, claritas & obſcuritas &c. Reſpondeo claritatem expellere inevidentiã negativè ſumptam, id eſt privationem evidentiæ, non autem parvam evidentiam. Si dicas, hanc comitatur privatio magnæ; Reſpondeo ſumptam genericè: N. ſpecificè. C. nam Lunam ſequitur negatio ſolis, ſed hæc eam non conſtituit.

Inſtabis: duo actus non poſſunt eſſe in eodem intellectu ſimul. Reſpondeo: hoc hic non quæri, ſed diſputari an repugnet ex parte naturæ ſcientiæ & opinionis, tamen plures habitus ſe comportant, vel ſaltem habitus ſcientiæ & actus fidei, & certè Adverſarij, vel non ſciunt demonſtrare exiſtentiam Dei, vel non credunt eſſe Deum, quod eſt erroneum pro Chriſtiano Philoſopho. Hìc de errore agit ſolet, dico breviter, quòd ſit *actus intellectûs, quo judicatur res aliter ac eſt in ſe*; & tam benè poteſt aliquis errare judicio affirmativo, quàm negativo, nunquam tamen proponendo verum. In his ad Majorem DEI

Gloriam, Exaltationem Nominis JESU, & Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ, atque ad decorem omnium Sanctorum ac Sanctarum, noſtramque ſalutem compoſitis, ſi erravimus, corrigi optamus, ſi quid laude dignum ſcripſimus, non nobis ſed Nomini Domini Gloriam damus ac benedicimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX CONTENTORUM.

Prologus in Logicam.

DISPUTATIO I.

De Natura Logicæ.

QUæſtio I. Quid ſit Logica artificialis. 2. Quotuplex ſit Logica artificialis. 3. Quomodo diſtinguantur Docens & Utens habituales.

DISPUTATIO II.

De Qualitate Logicæ.

Quæſtio 1. An Logica ſit Scientia. 2. An Logica ſit ſpeculativa vel practica. 3. An Logica ſit realis vel facultas rationis.

DISPUTATIO III.

De Fine Logicæ.

Quæſtio 1. Quid ſit objectum Logicæ. 2. An Logica ſit utilis. 3. An Logica ſit neceſſaria.

TRA-

TRACTATUS I.
De Univerſalibus.

DISPUTATIO I.
De Univerſalibus in communi.

Quæſtio 1. An & quid ſit univerſale. 2. Quot ſint univerſalia. 3. An dentur univerſalia extra ſingularia vel Ideæ Platonicæ.

DISPUTATIO II.
De Univerſali Metaphyſico & Logico.

Quæſtio 1. An detur univerſale Metaphyſicum à parte rei. 2. Quomodo fiat univerſale Legicum. 3. An univerſale maneat in actuali prædicatione.

DISPUTATIO III.
De Genere.

Quæſtio 1. Quid ſit Genus. 2. An genus requirat plures ſpecies, & hæc individua. 3. Quomodo genus prædicetur de individuis.

DI-

DISPUTATIO IV.

De Specie ac Individuo.

Quæſtio 1. Quid & quotuplex ſit ſpecies. 2. An ab individuis poſſit abſtrahi ratio communis. 3. Quid ſit principium individuationis.

DISPUTATIO V.

De Differentia, Proprio, & Accidente.

Quæſtio 1. Quid & quotuplex ſit differentia. 2. Quale proprium ſit univerſale, & quomodo fiat. 3. Quid ſit accidens quintum univerſale.

TRACTATUS II.

In Libros

Perihermenias: Priorum; & Poſteriorum.

DISPUTATIO I.

De Signo, Voce, & Scriptura.

Quæſtio 1. Quid, & quotuplex ſit Signum. 2. An & quomodo voces ſignificent conceptus, vel res. 3. Quid immediatè ſignificet ſcriptura.

DI-

DISPUTATIO II.

De Propoſitione.

Quæſtio 1. An propoſitio ſit ſimplex qualitas. 2. An propoſitio vera poſſit tranſire in falſam. 3. An ex duabus contradictorijs de futuro contingenti una ſit determinatè vera. vel falſa.

DISPUTATIO III.

De Syllogiſmo.

Quæſtio I. An aſſenſus præmiſſarum neceſſitet intellectum ad concluſionem. 2. An quis eodem actu aſſentiat præmiſſis & concluſioni. 3. An præmiſſæ ſint cauſæ efficientes concluſionis.

DISPUTATIO IV.

De Demonſtratione.

Quæſtio 1. Quot ſint præcognitiones & præcognita. 2. Quid & quotuplex ſit demonſtratio. 3. Quid ſit propoſitio per ſe nota.

DI-

DISPUTATIO V.

De Scientia.

Quæſtio 1. An & quid ſit ſcientia, 2. An ſcientia actualis poſſit ſimul eſſe in eodem intellectu de eodem objecto formali cum fide & opinione. 3. An ſcientia fides & opinio poſſint ſtare in eodem intellectu circa idem objectum materiale,

Continentur quoque hinc inde quæſita quædam, quorum cognitio reliquas difficultates abunde ſolvit.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google